
8
9
10
11
12
14
15
16
17
18
19
20
21
~~22~~

Z — C I P VI
218600

203/230


VEDERE
VIVERE
NE LE
NE LA
TENEBRE
LUCE
AMARE
IL
BENE
PASSATO
IL
RICOSTRUIRE
ALGIS
BEREL
TODA
RECEDO
RIEDO
NON
NON
NON TEMERE
IL
MALE
FUTURO
IL
CREARE
SOLE
OMBRA
AL
NE L'
COMBATTERE
LAVORARE

N° 712-

ex Libris F. K. Gobert
3 martii 1817

R. P. IOANNIS KREIHING

SOCIETATIS IESV

EMBLEMATA ETHICO-POLITICA

Carmine explicata,

Ad Sereniſsimum Principem

LEOPOLDVM

WILHELMVM

ARCHIDVCEM AVSTRIÆ &c.

Ducem Burgundiæ &c. Epiſcopum Argentinenſem, Paſſauienſem, Olomucenſem &c. Teutonici Ordinis Magnum Magiſtrum &c.

ANTVERPIÆ,
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
ANNO M. DC. LXI.

517551

87 12mo
K92E

REVERENDISSIMO

SERENISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

D. LEOPOLDO

VVILHELMO

ARCHIDVCI AVSTRIÆ &c.

DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO.



REVERENDISSIME,
SERENISSIME
ARCHIDVX.

IGnis tegi vix poteſt : Naturâ ſuâ calet, fulgetq́ue, & vtroque ſe prodit, etiam in cinere; etiam in cornu. Similis eſt amoris

ris proprietas: lateat in corde hominis quantumuis contempti, atque neglecti, vrit tamen, & ſuo ſeſe foras indicio oſtendit. Mihi, SERENISSIME DOMINE, ſeruorum Serenitatis Tuæ, infimo, nihil ſupra cinerem, & vilem laternam adeſt aut meritæ æſtimationis, aut acquiſitæ dignitatis: Ardent tamen corde meo Amor, Venerationeque Tui; accenſa, non vulgari calore, ab admiratione TVARVM virtutum, quæ meo quidem ſenſu, ac calculo, Te omnibus Principum donis excellentem, toti mundo ſpectabilem; & lau-

laudandorum Principum omnium viuum atque illuſtre Speculum effecêre.

Quâ ex laude Tibi neque hoſtium calumniæ, neque inuidorum liuor, neque garrulitas mendacis famæ quicquam decerpit: Sed vt Solis ſplendor, medium cœli obtinentis, nubes & diſpellit, & deuorat; ita omnes aut malitiæ inuidentis, aut ignorantiæ cæcutientis nebulas SERENISSIMVS TVARVM virtutum fulgor abſorbet: quare apud Orbem iam ferè totum hanc Nomenclaturam obtines, vt OPTIMVS

PRIN-

PRINCEPS, appelleris.

Cum ergo boni amatores paſſim, & magni, & minimi omnes ſimus, ſi ſapimus; Cur non & Ego, niſi deſipiam, illum non amem, qui eſt OPTIMVS? cur non laudem, qui eſt Laudatiſſimus; licet ipſe ego ſim minimus? Certè non ſinit ſe abſcondi amor meus, etiamſi fortaſſe aut velis, aut contemnas: Ignis enim eſt; lucet, non ſolùm in Candelabro aureo, ſed etiam in laterná corneâ; neque vrit duntaxat in foculo argenteo, verùm etiam in maſſa cineritia.

Impatiens ergo tegendi caloris ſui, EMBLEMATA hæc mea ETHICO-POLITICA, quæ per animi otium collegeram, amor ſurripuit, vt per illa ad SERENITATEM TVAM æſtum ardoris ſui transfunderet. Neque ego violentiam coërcui, ſed libenter permiſi, vt quot icones, quot verſus, imò quot Verba in iis inueniſſet, tot calentia incendij ſui tela in TE, OPTIME ARCHIDVX, iacularetur, non quæ mortis neceſſitatem vulnerando inferrent, ſed quæ delectando ſenſum tribuerent

rent voluptatis.

Veniunt ergo ad SERENITATEM TVAM, Optime & Dilectiſſime Archidux, Emblemata hæc, teſtes ignis ex cineribus, & laterna vilis Homunculi emicantis: orantque humillimè, pro Humaniſſima, & toto Orbe Celeberrima Benignitate TVA, ab Sua Serenitate ſereno oculo ac vultu excipi; atque inter ea numerari, quæ magis Serenitati TVÆ ſapientiſſimæ, ex affectu ſincero prodeuntia, probantur, quàm ex facultate.

Plures cur veniant, cauſas, quam Amorem, Venerationemq́ue afferre, non eſt neceſſe; cùm hæ duæ omnes, quæ dici poſſunt, complectantur; neque Tvis curis integrum ſit, pro paruâ Dedicatione, libro ingenti lectitando occupari. Quis enim paucis pagellis, cur amari, laudari, atque omni honorum cultu ornari merearis, exponat? Satis ſit dixiſſe Tvi amandi, laudandi, honorandiq́ue tot quidem cauſas ſupereſſe, quot fulgent in Cœlo ſtellæ; hoceſt, in tota

ta Sereniſſima Vita TVA admirandæ virtutes ; Compendio autem duo verba ſufficere: AMO, COLOQVE.

Cui breuitas iſta nimis conciſa eſt , is hic appenſum Speculum TVVM ARCHIDVCALE LEOPOLDIANVM inſpiciat; iſtic tam multæ, tam præclaræ , tam diuerſæ Heroicarum Virtutum facies , magno dignæ Principe , ſeſe oſtendent , cùm illarum , quæ extra proſpectantes patent , tùm quæ tectiores intus celantur, vt Oceano aquam poſtulare videri poſſit ; qui fu-

ſiùs exponi cupiat, cur mundus Te amet, laudetque: & nos è vulgo Homunculi, quod omnes faciunt, & Tv mereris, faciamus.

Suſcipies ergo, Archidux Humaniſſime, Emblemata, Tvi amore atque admiratione ad Te properantia: & licet digna non ſint, quæ in Bibliothecâ Tuâ, ſupra infimos ſedeant; iſto tamen illa loco ordinare digneris, quo iſtos, qui Serenitatem Tvam ſincerè, ac conſtanter, ſine fuco atque adulatione amant, ac colunt, reponere conſueuiſti.

ſueuiſti. Herbipoli M. DC. LX. 1. Februarij.

Reuerendiſſimæ ac Sereniſſimæ
CELSITVDINIS VESTRÆ.

Humillimus, & Seruorum minimus Seruus, & Sacellanus.

IOANNES KREIHING.
SOC. IESV.



SPECULUM LEOPOLDIANUM.
Religio.
Nobilitas
Deuotio
Nil tenerius.
Charitas
Ardet utraq.
Fiducia
Hic tenet
Prudentia
Iuſtitia
Omnia iuxta pondus
Fortitudo
Non ſuccumbo.
Magnanimitas
Intrepide.
Continentia.
Iungit utrumq.
Clementia.
Rigatq. fovetq.
SICUT IN SPECULO
Manſuetudo.
Temperat agna Leonem.
Benignitas
Suavitas

SPECVLVM ARCHIDVCALE
LEOPOLDIANVM
WILHELMIANVM.

In ſpeculum.

CVr TE *quiſque colat; cur ſis in amoribus Orbi;*
Cur mea ſit laudi Muſa dicata TVÆ:
Hoc ſpeculum poterit, PRINCEPS, *Tibi reddere cauſas,*
Quælibet eſt laudis cauſa figura TVÆ.
TV *Speculum es Mundo Recti: quæque emicat in* TE
Virtus, ceu puro cernitur in ſpeculo.
Sed neque cuncta patent; ſed plurima contegit ipſe;
Quæ celare nequis, ſunt, vt amére, ſatis.

AD


AD SVAM REVERENDISSIMAM

SERENITATEM.

ALpha Ducum, pariterque bonis laudate, maliſque;
Qui ſtas pro populo, Marte, Pedoque DEI:
Cui DEVS *obliquæ ſuperare ſilentia Famæ,*
Maius & inuidia nomē habere dedit.
Virtutem cuius ſocij mirantur, & hoſtes;
Queis TE *ſumma ſuper laudibus aſtra veham?*
Te Pietas Sanctum: Tua Te Clementia mitem;
Te placidum, ac fortem mens generoſa facit.
Te dignum celſis prudēs ſapiētia ſceptris;
Te reddit Caſtum ſobrietatis amor;
Summa Tibi Iuris; ſumma eſt reuerentia legum;
Om-

Omnibus es mitis; ſed tamẽ æquus eris.
Deniq́ue TE *viuax quoque poſt Tua funera, Virtus;*
Famaq́ue laudatrix, non moritura, ferent.
Sed laudando TVIS *ſtolidè cur laudibus obſto?*
Nil potis eſt illis par mea Muſa loqui.
Sed breuis hæc laudum, Princeps, ſit ſumma TVARVM,
Quod dici poſſis Publicus Orbis Amor.

IN



IN SYMBOLVM

REVERENDISSIMI, ET SERENISSIMI

ARCHIDVCIS

LEOPOLDI WILHELMI

AVSTRIACI.

WILHELMI *Archiducis* LEOPOLDI *Symbola cernis;*

Tam

Tam magni mores PRINCIPIS *iſta docent.*

unt oculus, laurus, frænumque, agnuſq; leoque,

Iuncta ſed ad Chriſti iuſſa coire Crucem.

Vim leo magnanimam, mitem ſed denotat Agnus:

Ne ſpernas Agnum; cùm volet, ille leo eſt.

Principi ab exemplo venit hæc connexio Chriſti,

Is leo de Iuda, ſed ſimul Agnus erat.

Dant ſic affecto ſapiens Prudentia laurum,

Et benè compoſiti fræna reſtricta animi;

umitur à ſolo Crucis hæc ſed laurea trunco,

Quâ regit ille alios, Victor & ipſe ſui eſt

Hinc

Hinc illi Pacis, viret hinc & laurea
Belli,
Hinc Crucis, & veræ Religionis
amor.
Singula magna quidem; ſed ſunt majora,
quod illis
In cunctis DOMINI *ſit Cynoſura*
TIMOR.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

CVm omnes, quæ ad honeſtam morum inſtitutionem, ac Ciuilem diſciplinam accommodatæ ſunt præceptiones, vtiliter hominibus inculcentur; tum eæ præſertim, quæ inuentionis dictioniſque concinnitate, aut poëticorum etiam modorum ſuauitate mollitæ ſunt, gratiùs irrepunt animis, & fructum afferunt vberiorem. Quare *R. P. Ioannis Kreihing* è Societate IESV *Emblemata Ethico-politica* cenſeo bono publico in lucem edenda. Antuerpię III. Id. Octob. M. DC. LX.

CHRISTIANVS VOOCHTS
Eccleſiæ Cathed. Antuerp. Canonic. & Archidiaconus, ac Libr. Cenſor.

PRI-

PRIVILEGIVM REGIVM.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Catholici Regis, Ducis Burgundiæ, ac Belgarum Principis, auctoritate indultum Priuilegium eſt *Iacobo Meurſio*, ciui Antuerpienſi, typis mandandi, atque vbiuis vulgandi, *Emblemata Ethico-politica R.P. Ioannis Kreihing* è Societate IESV. Actum Bruxellis XV. Octobris CIↃ IↃC. LX.


PETRVS STOCKMANS.

EMBLE-

EMBLEMATA
ETHICO-POLITICA.

EMBLEMA I.

Regno ſuo Rex præſens adſit.



I.

Opera omnia luſtrat.

CYnthius Heſperiis abſens dum conditur vndis,
Splendidaque obſcuro ſubtrahit ora polo,
cedit pariter deſertis gratia terris,
umque ipſo fugiunt gaudia cuncta die.
oculis gratum eſt: rebus color omnibus vnus;
et, niſi quòd lucent ſidera, cuncta latent.
pè etiam denſæ ſubtexunt ſidera nubes,
Et tantùm cælo frigidus horror ineſt.

Forma latet mundi:fugiunt cum luce colores:
  Ingeminant tenebræ: nox caret igne ſuo.
Pallentes vmbræ,lunæque ſilentia terrent,
  Et facit incertos murmur inane metus:
Non fruges terraſque fouet genitalibus auris,
  A grato Phœbi qui venit igne,calor.
Denique non vllis reſonans concentibus æther
  Triſte viatori mollit amœnus iter.
Obſcœnæ tantùm volucres ſtridentque,gemuntque,
  Et prædas, cæcæ munere noctis,agunt.
At poſtquam Eois Titan reuocatus ab vndis,
  In ſua cum clarâ lampade regna redit,
Triſtia purgato decedunt nubila Cœlo,
  Antraque diffugiunt in ſua noctis aues.
Reddit & ex facili renouato priſtina mundo
  Gaudia cum gratâ luce renata dies.
Nec multis opus eſt:ſatis eſt præſentia Phœbi:
  Omnia,formoſo dum redit axe, vigent.
Qui ſibi ſubiectis arcere incommoda regnis,
  Inque bonâ populos pace tenere volet:
Et volet occultas prudens auertere turbas,
  Quas plebs de nihilo ſeditioſa mouet:
Ille ſuæ vultum caueat ſubducere genti,
  Et procul à regno,quà licet,eſſe ſuo.
Eſſe procul res plena metu,res plena tumultu eſt:
  Sic amor in Regem,qui fuit antè, perit.
Iura fideſque labant:omnes ſimul arma loquuntur,
  Nec timet in partes quiſque coïre ſuas.
Tempora ſpargendis nec ſunt magis apta querelis,
  Quàm cùm,qui cauſas tollere poſſit,abeſt.
Diſcordes prohibet Regis præſentia motus,
  Seu fera flectat amor pectora, ſiue timor.
Magna eſt auguſti ſemper reuerentia vultus:
  Magni neſcio quid numinis inſtar habet.

Fran

Frangitur hoc vultu præceps audacia turbæ,
Et pietas animos, & ſubit ora pudor.
Promtius eſt medico naſcentem pellere morbum,
Ipſe ſuâ præſens ſi leuet arte malum.
Nec Regi minus eſt animos iraſque ſuorum
Flectere, turbatis ſi modò rebus adeſt.
Quæ ſubeunt, præſens diſpellit nubila Phœbus;
Occidat: infauſtæ mox dominantur aues.

EMBLEMA II.

Regia virtus clementia.



II.

Ara timori.


Dum ſpes nulla fugæ eſt, & iam propè cerua tenetur,
Cæſareos ſupplex procidit ante pedes.
Et mox depulſi rabiem poſuere Moloſſi,

Et catuli voces continuere ſuas.
Obuia perfugium pauido dedit ara timori,
Saluaque Cæſareo munere vita fuit.
Partes quiſque ſuas, Rex has, miſer expleat illas:
Alter opem ſupplex poſtulet, ille ferat.

Cerui vrgente vi canum vltrò confugiunt ad hominem. Plin. l. 2. c. 32.

EMBLEMA III.

Moderatè regendum.



III.

Non arctius æquo.

Ne laxa nimiùm, nimiùm neque contrahe frænum:
Euentus miſeros illud & illud habet.
Si laxes nimiùm, ſonipes contemnit habenas,
Et ſe de molli proripit ipſe manu.

Si durus nimiùm reſtringat lora magiſter,
Sternitur,& præceps in ſua terga cadit.
Vtraque res damno eſt,res vtraque plena pericli:
Altera ſeſſores,altera perdit equos.
Qui ſapit,adductos iuſto moderamine frænos
Temperat,vt nec equo,nec noceatq́ue ſibi.
Sic Regni qui ſceptra tenes,populoſq́ue gubernas,
Nec laxus nimiùm,nec nimis aſper eris.
Si nimis indulges,ſpernent tua iuſta rebelles,
Et minues Fiſco iuſſa tributa tuo:
Si nimiùm ſtringas,odium,& maledicta rependent,
Inq́ue tuo regno vix benè tutus eris.
Te demum in vitæ partem ſi verteris omnem,
Semper,quod nimium creditur eſſe,nocet.

EMBLEMA IV.

Bellum non faciè mouendum.



IIII.

Non expedit concutere felicem ſtatum. Seneca Oedip.

Deſine: florilegæ quid turbas horrea gentis?
Atque quieſcentes, ſtulte, laceſſis apes?
Non impune feres: aderunt mox excita caſtris
Agmina: bella tibi, bella timenda manent.
Ecce laceſſitus portis exercitus omnis
Iam ruit: auditur vox imitata tubas.
Non facilè euades: en vndique cingeris armis,
Et fœdant vultus ſpicula ſæua tuos.
Tota tuam ſubeunt (ſentiſne?) examina veſtem;
Et tumet à plagis iam tibi tota cutis.
Armatam fruſtra depellere niteris iram:
Hanc aciem contra, te nihil arma iuuant.

En

En caput atque oculos denſo niger agmine miles
Obſidet, arreptam perſequiturque fugam.
O quanto melius non irritaſſe quietas,
Et ceris auidas abſtinuiſſe manus!
Non labor eſt paruos volucrum turbare penates:
Sed iam turbatis non capit ira modum.
Tu quicunque ſapis, nunquam ſis pronus ad arma,
Sed ſine quemque ſuâ, (quà pote) pace frui.
Inſano facilè eſt, bellum extorquere quietis,
Ponere ſed cœptum, grande laboris opus.

EMBLEMA V.

Pacis & Belli conſortium.



V.

Eodem tendat vterque.

Sunt eadem haud ſemper, variè ſed tempora mutant.
Mox ſunt Mauortis, quæ modò pacis erant.

æuit, & opponit paci diſcordia Martem.
In quorum bona ſunt, vel mala cuncta manu.
O quanto meliùs connectitur Enſis Oliuæ!
Et Mars cum placidâ Pallade fœdus habet!
Numinis haud mens eſt paci committere Martem,
Sed vult vt Martis pax ſtatuatur ope.
Hinc Marti,& paci finem præſcripſit eundem;
Qui ſit regnorum publica proſperitas.
Bella gerat Mauors,ſed non niſi Pacis amore;
Si pax non iubeat,Mars neque bella gerat:
Sed ſedeat pingui frontem redimitus oliuâ,
Et pacis ſtudeat proſperitate frui.
Ne tamen ignauum faciant longa ocia Martem,
Sed ſit,quo quondam bella futura gerat,
Prouida curatis Martem pax inſtruat armis,
Præſidia & belli,dum viget ipſa,paret.
Commune officium eſt placidè coniungere dextras,
Et dare communi tempora fauſta rei.
Arma parent pacem; pacem tueantur & arma;
Sed pax Mauorti comparet arma ſuo.

EMBLE-

EMBLEMA VI.

Hoſtem priùs noſce, quàm time.



VI.

Sæpè ignorantia vanæ
Cauſa metus.

Illa Paratoniæ notiſſima bellua terræ,
 Quam nutrit denſis Nilus arundinibus,
Ob quam frugiferas metuit contingere ripas,
 Et bibere optatas ſæpè viator aquas,
Occurrens timidis ſummâ Crocodilus arenâ,
 Exanimat ſubito territa corda metu.
Interdum laceros morſu depaſcitur artus,
 Et latè ſparſo ſanguine ripa madet.
At ſi quis contrà ſtrictis obſiſtere telis
 Audeat, armatas obiiciatque manus,
Irâ cadit, triſteſque minæ furiæque reſidunt;

Quique timendus erat, concipit ipſe metum.
Hæc ſæuæ natura feræ eſt: fugientibus inſtat;
Inſtantem contrà, victa timore, fugit.
Hæc quoque non vana eſt ſeſe iactantis imago,
Qualis Plautini ſcena Thraſonis erat.
Ringitur, & vanis alios terroribus implet,
Et lepus eſt animo, qui fuit ore leo.
Si timeas, cognoſce priùs quæ cauſa timendi:
Sæpè ſuperuacuo palma timore perit.

EMBLEMA VII.

Sis & fugientem cautus in hoſtem.



VII.

Non rarò eſt fugiens pugnante nocentior hoſtis.

Cautus age, & nunquam fugientem ſpreueris hoſtem:
Subdola ſæpè dedit maxima damna fuga.

Magna-

Magnanimum Tomyris confixit barbara Cyrum,
Cùm fugiens, Perſas obruit inſidiis.
Tunc qui fraude pari tabo macularat Araxem,
Incautus proprio concidit ipſe dolo.
Quid memorem, certos vt ſæpè tetenderit arcus,
Conuerſo Parthus fidere viſus equo?
Romanas Aquilas, & diuitis agmina Craſſi,
Et tot per fictam perdita ſigna fugam?
Quis neſcit Latias quoties Tiberinus ad vndas
Illacrymans, largis fleuerit æger aquis?
Non ſemper parilem ſeruat Bellona tenorem:
Nunc hac, nunc illâ fertur in arma viâ.
Sæpè cruentatis laurum vehit illa quadrigis,
Et palmam à victo cominùs hoſte rapit:
Sæpè relata manu periit victoria fraude,
Et fuga laurigeros ſæpè reduxit equos.
Tu, quem delectat prudentis gloria Martis,
Qui laudem bello, præmiaque ampla petis,
Obſerues hoſtem quamuis diffugerit, & rem
Eſſe tibi Partho cum fugiente puta.

EMBLEMA VIII.

Adſit prudentia bello.



VIII.

Superat prudentia vires.

Arma foris vigeant, regat at prudentia bellum:
 Hæc adſit,feritas Martis inermis erit.
Aſſyrium prudens extinxit femina faſtum,
 Victori proprio cùm tulit enſe caput.
Nil vis cæca iuuat,belli niſi prouida virtus,
 Conſiliiq́ue potens,robur,& arma regat.
Quare ſi quis auet,nomen conquirere ab armis,
 Arma ex conſilio militiamq́ue gerat.
Armatas etenim ſuperat prudentia vires,
 Hac ſine nil enſes,ſæuaq́ue tela iuuant.

EMBLE-

EMBLEMA IX.

Parti ſit cura tuendi.



VIIII.


Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Dum quærit liquidis prædam piſcator in vndis,
  Anxia piſcantem cura, metuſque tenent.
Et modò diffuſo ſcrutatur gurgite piſcem,
  Et modò, ne fugiat pręda reperta, cauet.
Imò minor capere eſt, quàm captam cura tenere:
  Perdere nam grauius, quàm caruiſſe, malum eſt.
Hinc cautè impletas conatur claudere naſſas,
  Et cautâ deplet retia plena manu.
Si qua Deus largâ tribuit tibi munera dextrâ,
  Inque ſinum Lydas fudit amicus opes,
Aut iuſtè extortas, conciſis hoſtibus, vrbes,

Sub tua iura tibi, Marte fauente, dedit;
Sic ſtudium, & vigilans, quod habes; tibi cura tuendi:
Sępè abeunt citiùs, quàm pariuntur, opes.

EMBLEMA X.

Diuerſa diuerſis gubernandi ratio.



X.

Vnum non conuenit omni.

Non omnis freno ſonipes flectendus eodem:
Arte leues currus, arte regendus equus.
Mitia ſi rigidis dureſcant ora lupatis,
Paulatim aſſueſcent duriùs illa regi:
Aſpera ſed contrà loris ſi lenibus vrges,
Contemnent mitem non benè preſſa manum.
Et genium, & linguam, dentes, atque ora magiſter
Inſpicit, indocilem flectere doctus equum;

Atque

Atque his frenandi prudens accommodat artem,
Ne noceat forſan, dum releuare cupit.
Qui regit imperio populos, nutuq; coërcet,
Non omnes vno dirigat ille modo.
Sunt, vt equis, mores varii mortalibus: ille
Leniter, hic aliâ vult ratione regi.
Ille regit bellè, qui, cùm diſcernere mores
Nouerit, his nil non conuenienter agit.

EMBLEMA XI.

Regis ad exemplum.



XI.

Euincet, cùm Rex, quod iubet, ipſe facit.

Ne qua foret partæ paci vindicta ſuperſtes,
Neu quis priuatâ conderet arma domo,

Rex

Rex vetuit cautus ſicas *a* Federicus, & enſes;
Tutumque edicto fecit inerme latus.
Quod ne forte vlli poſſet quaſi pœna videri,
Qui gladium viſus ponere, primus erat:
Et mox nobilitas legem regemque ſecuta eſt,
Promtaque nudatum præbuit enſe latus.
Regis in exemplo vis & laus vertitur omnis:
Quiſque libens ſequitur, quem tenet ille, modum.
Eſt via ſeruandi longè rectiſſima iuris,
Si legem, quam Rex iuſſerit, ipſe facit

a *Federicus Aragonius, Rex Neapolitanus.*

EMBLEMA XII.

Priuilegia non facilè danda.



XII.

Ne detrahe molle capiſtrum:
Eſt iterum frænare labor.

Cùm ſemel admiſit leges, ac frena momordit,
  Nunquam vincla nimis detrahe mitis equo:
Sed conſueta tene molli ad præſepia loro;
  Nec diſcat toto ludere liber agro.
Paret, & in gyros preſſis agitatur habenis,
  Seſſoremque ſuum fert patienter equus.
At ſimul excuſſit nullo prohibente capiſtrum,
  Præcipiti fertur lata per arua gradu.
Nec facilè exutas iterum patietur habenas,
  Nec facilè, vt nuper, terga premenda dabit.
Sic eſt cum populo: ſequitur patiturque regentem,

Cùm

8 Cùm ducis aſſueuit legibus ipſe ſui.
At ſi libertas animum in contraria vertit,
Excuſſiſſe iuuat, quod tulit antè, iugum.
Ipſe ſibi rex eſt, ipſi pro lege voluntas,
Et libertatis frena recuſat amor.
Larga quidem gratos decet indulgentia Reges,
Et meritis facili reddere dona manu;
At ſi fortè volet dare, vel donanda petuntur,
Quorum prudenter pœnituiſſe poteſt;
Vt ſunt Regalis ſceptri minuentia cenſus,
Iura vel Imperii tollere nata ſui,
Hic opus eſt, rigido frenum cohibere lacerto,
Ne cogatur, equus dum fugit, ire pedes.

EMBLE-

EMBLEMA XIII.

Conſiliarij.



Oculis opus eſt inſomnibus.

Cùm vaccam Iuno ſeruandam tradidit Argo,
  Centum luminibus peruigil Argus erat.
Tot tamen infidus ſopiuit lumina ſomnus,
  Raptaque cuſtodi vitaque, boſque fuit.
Quod ſi centum oculis vnam ſeruare iuuencam
  Peruigil, & prudens non ſatis Argus erat:
Cui, quacumque, patet cuſtodia credita Regni eſt,
  An non mille oculis Rex opus vnus habet?

EMBLE-

EMBLEMA XIV.

Res publica priuatâ potior.



XIIII.

Priuatâ valeat publica cauſa magis.

Aſpice Calchidico dum ſtant in littore puppes,
Victima pro Danais regia virgo cadit.
Tune putas ſicco ſpectaſſe Agamemnona vultu,
Cùm cæſa ante ſuos concidit illa pedes?
Non certè: at patrios domuit Res publica ſenſus,
Et valuit patriæ filia amore minùs.
Nempe decet Reges, priuatim quicquid amatur,
Communi patriæ poſtpoſuiſſe rei.
Pars, res priuata eſt; ſed res eſt publica totum:
Præ toto partem quis ſapienter habet?

EMBLEMA XV.

Præuidendum.



XV.

Meliùs præuiſa cauentur.

e non præuiſo ſubitò capiatur ab hoſte,
Cuſtodem in ſpeculis Dux benè cautus habet.
ic hoſtem tacitis venientem proſpicit armis,
Indicat & caſtris ſigna inimica ſuis.
ic ad nudatum properè citat agmina vallum,
Quaſque procul vidit, deſtruit inſidias.
ouida dictauit talem prudentia legem;
Quâ mala vitari poſſe futura docet.
nprouiſa nocent; meliùs prouiſa cauentur:
Noſſe iuuat multùm, quàm venit, antè febrim.

EMBLE-

EMBLEMA XVI.

Salpa.



XVI.


Non, niſi tuſa, ſapit.

Non eſt apta cibo, ſanis neque commoda menſis,
  Et, niſi contuderis, non benè ſalpa ſapit.
Salparum eſt hominum ſimilis natura frequenter:
  Nil ſapit, aut rectè, nî bene tuſa, facit.
Obſtipum caput eſt, dura atque adamantina ceruix,
  Ipſaque, quâ ſapiat, mens rationis eget.
His melior rigido nulla eſt medicina flagello:
  Namque vbi abeſt ratio, verbera dant ſapere.

EMBLE-

EMBLEMA XVII.

Femina.



XVII.

Varium & mutabile ſemper.

Quid gallus celſis ventorum in turribus index,
Mobilis incerto vertitur vſque Noto?
Cur potiùs varios non ſignat femina ventos?
Mobile plus nullum mobilitatis habet.

EMBLE-

EMBLEMA XVIII.

Lacertus.



XVIII.

Ingratos, non benè cautus, amo.

Humani generis cùm dicor amore teneri,
  Credite: fama facit, reſque probata fidem.
Nec malè nota mei; nec pauca feruntur amoris
  Pignora: ſæpe homini vita, ſaluſque fui.
Sed redamando vices qui reddat gratus amanti,
  Iuſtaque pro meritis præmia ſoluat, vbi eſt?
Me miſerum! tamquam linguâ ſpumaque nocerem,
  In noſtrum ſæuit fuſte, vel enſe caput.
Si ſtet nos inter ratio, peccamus vtrimque:
  Sumque ego ſympathicus; ſed malè gratus homo eſt.

EMBLE-

EMBLEMA XIX.

Scorpius.



XVIIII.

Dum palpor, noceo; medeor, dum conteror.

corpio mortiferum, ſi palpes, inferet ictum:
Contere, mox vires, queis medeatur, habet.
unt, tibi qui grauiter, tua poſt benefacta, nocebunt,
At bene te factis, poſt malè facta, colent.
Ios, caue, ne palpes, duris ſed contere flagris.
Namque homini haud rarò Scorpius, alter homo eſt.

EMBLEMA XX.

Viator.



XX.

Antequàm occumbat.


Dum Sol, Oceani ſeſe merſurus in vndis,
Occiduum properat perdere nocte diem,
Impiger, ac prudens, curſu feſtinus anhelo,
Sollicitâ accelerat mente viator iter;
Nec ſibi permittit celerem, quam computat, horam,
Per vina, aut epulas, blanditiaſve rapi.
At nos queis vitæ properant occumbere ſoles,
Et lux, quâ fruimur, non reditura fugit,
Vſque ſumus tardi; neque ſtans in limine veſper,
Nos monet ignauum præcipitare gradum:

Sed

Sed retinet ſegnes ſemper maleſuada voluptas,
Illicióque leui nectimus vſque moras.
Quid ſequitur tandem? niſi, Sta procul vrbe viator,
Ad portam clauſis ſerò venis foribus.

EMBLEMA XXI.

Fabri.




XXI.

Dum calet.

Dum fornax ardet, dum ferrum molliit ignis,
Per ſua Mulciberis malleus antra ſonat.
Ferrea nam ſolo ſuperatur maſſa calore:
Si ferrum friget, friget & artis opus.
Omnia tempus habent: nil fit, ſine tempore, recti:
Vel ferrum vinces, ſi fauet hora, tibi.

EMBLEMA XXII.

Philomela in caueâ.



XXII.

Solor mea tædia cantu.

Vt captiua ſui ſoletur tædia clauſtri,
  Muſica per varios it philomela modos:
Sæpè canunt homines, queis ſuadent tempora fletum;
  Luſcinias etenim ſors quoque dura facit.
Sic animo duri ſubeunt obliuia caſus.
  Te quoque fortunę ſi premit ira, cane.

EMBLEMA XXIII.

Auicula alligata.



XXIII.

Quam modicum impedit.

Nil credas modicũ, quod ſumma incommoda præbet:
En fugiens modico, fune tenetur auis.
In modicis etiam prudens ſapientia cauta eſt:
Namque mali, in modicis ſi capiare, ſat eſt.

EMBLEMA XXIV.

Mercator.



XXIIII.

Vincit amor lucri.

Vnda licet tumeat, Boreaſque, & ſæuiat imber,
 Naufragaque ante oculos merſa carina natet,
Atque iter illacrymans ſoboleſque retardet, & vxor,
 Quin reditûs abeat neſcius ipſe ſui;
Attamen extremos properat mercator ad Indos,
 Cunctaque lucrandi vincula rumpit amor:
Cùm tutis ſcateat lucris ditiſſimus æther,
 Cur non æterni tanta cupido boni eſt?
Nempe ſumus vani, nec quærimus optima nobis;
 Sed tantum in lucro, quod videt omnis habet.

EMBLE-

EMBLEMA XXV.

Hercules Victor.



XXV.

Auget Victoria famam.

Alciden nigris ſepeliſſet Fama tenebris,
Nî toties victo clarus ab hoſte foret.
Turpe nimis vinci eſt;habet at victoria laudem:
Vincere ſi neſcis,te neque muſca timet.
At ſi vis celebris,ſi vis mirandus haberi,
Fac te victorem fama loquatur,eris.

EMBLEMA XXVI.

Victus.




XXVI.

Pereunt & laus, & præmia victo.

Magnanimus miles, cui laus, & præmia curæ,
  Qui cenſet vinci turpius eſſe nece,
Spe deſperatâ, porrecto inglorius enſe,
  Per turpes optat viuere nemo preces.
Cur toties igitur ſtygio ſuperamur ab hoſte?
  Et victor nobis eripit arma Charon?
Nec potiùs laudem pudet, atque amittere cœlum,
  Quam ſub tartareum turpiter ire iugum?
Scilicet imbelles animi Meliteſque catelli,
  Turbaque bellatrix, ſed leporina, ſumus.

EMBLEMA XXVII.

Luctatores.



XXVII.

Præmia dant animos.

Nudus in Auſoniâ pugnans luctator arenâ,
A palmæ aſpectu vimque, animoſque capit.
Vincere quiſquis amat perpendat præmia pugnæ,
Vincendi magnum præmia pondus habent.

EMBLEMA XXVIII.

Stulti.



XXVIII.

Ditant ſua ſomnia ſtultos.

Quàm diuerſa tenet ſtultorum vota voluptas!
Cuíque ſuo ex ſenſu vita beata ſua eſt?
Hunc faciet Regem fictum diadema papyro,
Fulmineum aſt iſtum lignea tela Iouem:
Longus & huic enſis, turpíſque ærugine thorax,
Suadebunt armis Pergama verſa ſuis.
Vitrea ſcruta alius, proiectáque computat æra,
Ceu teneat dites Pygmalionis opes.
Ille crepat riſu, flere huic eſt ſumma voluptas,
Vina iſti, illi ſunt vita beata canes.

Deni-

Deníque quid multis? ditant ſua ſomnia ſtultos,
Quemque nolæ Crœſum, clauáque farta facit.
Stultitia haud diſpar ludit temeraria mundum;
Re miſer eſt, ſenſu diues at ille ſuo.

EMBLEMA XXIX.

Occaſio.



XXIX.

A fronte tenetur.

Præterit vſque fugax, monſtratque occaſio caluam;
Et, ni à fronte comis accipiatur, abit.
Inſequeris fruſtrà, vix & neglecta redibit,
Si frontem occurrens porrigit illa, rape.

EMBLEMA XXX.

Leo & Aſinus.



XXX.

Caue principis iram.

Brutorum regi ſtolidus maledixit aſellus,
  Turgidus exuuió namq́ue leonis erat:
Et ſeſe Herculeis componere viribus audax,
  Cur mihi ſit Nemeæ cura leonis, ait.
Non tulit hunc faſtum leo,ſed diſcerptus aſellus
  Verba ſub aſſumptâ grandia pelle luit.
Eminùs aſpectans,bardum vulpecula riſit,
  Atq́ue hæc ſunt ſpreti præmia Regis,ait:
Diſcite ab exemplo,non temnere Principis Iram,
  Irritata graues namq́ue habet illa manus.

EMBLEMA XXXI.

Cautela Regia.



XXXI.


Non omnia ad vnum.

Raro vnus regum benè dirigit Eſſeda rector,
Præſertim indomitis per ſcabra vectus equis;
Multa ſed auguſtum ducit cuſtodia currum,
Ne fors in præceps deuius axis eat.
Hic primos moderatur equos; regit ille ſequentes,
Iam iam labentes ſuſtinet ille rotas.
Cætera quin etiam quæ gens comitatur euntem,
Sollicitas adhibet, ne ruat ille, manus.
Publica cur raris par eſt modo cura Monarchis?
Sed regni aurigam ſæpiùs vnus agit?
Si currum ſapiens nemo commiſerit vni,

Per ſaxa & ſcopulos quando terenda via eſt,
Cur hominem ſolus currum qui dirigat vnus
Et Regni,& Regis,credimus eſſe parem?
Anne gubernandi leuiora pericula Regni,
Quàm proficiſcendi regius axis habet?
Non puto, ſed multis niſi ſit prudentior vnus,
Res Phaëthontæus publica currus erit.

EMBLEMA XXXII.

Mala Conſcientia.



XXXII.

Non eſt tortura ſeuerior vlla.

Vincla, cruces, cippi, plectant malefacta rotæque,
Si qua vel eſt grauior pœna ſtatuta reis.
Conſcia nequitiæ peſtis ſed peſſima mens eſt,
Tiſiphone peior, tartareóque cane.

Nam

Jamq́ue minax hydris ſtygiíſque armata flagellis,
Carnificem æternum pectoris intus agit.
Nec toties atrox triplicat fera verbera tortor,
Quàm domat hæc variis impia corda rotis.
Crimina vix aliis ópus eſt mulctare cataſtis;
Sæuior his tortor mens mala ſemper erit.

EMBLEMA XXXIII.

Verberones.



XXXIII.

Vix cæſi emendes quibus eſt fiducia tergi.

Aſſuetos crebris aſinum, ſeruumque flagellis,
Haud cernes tetram ponere pigritiam.
Nam queis pulſati grandis fiducia tergi eſt,
Propoſitum vitæ vix melioris habent.
Aſpice queis rigida dorſum ſecuêre triremes,
Quod genere hoc hominum nequius eſſe poteſt?

Quid?

Quid?quod deterior fur eſt, qui publica ſæpe
Per fora carnifici terga ſecanda dedit.
Nempe frequentatis cutis eſt queis dura flagellis,
Emendant nullos verbera ſæua malos.

EMBLEMA XXXIV.

Beneficentia phariſaica.


XXXIIII.

Careant benefacta rubore.

Munificos benefacta decent, & gratia Reges,
Parca nec ad dandum diuitis eſto manus.
Sed dare quando voles, careant tua dona rubore,
Gratia ne pereat munere fortè tuo.
Nam dando ingenuos ſi vis confundere vultus,
Vt quid donaris claſſica, voxque canant,
Iam, mihi crede, tuo periit bona gratia dono,
Nam plus quam dederas, ſic, Phariſæe, rapis.

EMBLEMA XXXV.

Decoctor.



XXXV.

Ars lacrymas dabit iſta liquandi.

Non ager, aut hortus, domus eſt quoq́ue nulla guloni,
Iam pridem in liquidum cuncta abiêre merum:
Quæq́ue ſuperfuerat, tota eſt decocta ſupellex:
Ille tamen longâ nocte, dieq́ue bibit.
Nunc etiam ad veſtes ventum eſt: braccaſq́ue, togamq;
E[illegible]rapta in vinum pallia caupo liquat.
Dira tamen nondum ſitis eſt reſtincta guloni,
Vlteriùs ſemper ſed ſitit, atque bibit.
Quid tandem fiet? nam nil iam deniq́ue reſtat,
Vnde liquet caupo quod bibat ille, merum?
Credo, ſuos oculos tandem dabit ille liquandos,

Qui

Qui dare, ſi nequeant vina, dabunt lacrymas,
Sic erit arenti, quod polit & vſque guloni:
Nam ſi defuerint vina, bibentur aquæ.

EMBLEMA XXXVI.

Mala fortuna.



XXXVI.

Mala irruunt, bona arrepunt.

In nos ſæua ruit celeri fortuna volatu;
Arrepunt tardo commoda magna pede.
Cur homini miſero tanta eſt peruerſio ſortis,
Pluribus vt ſcateat vita referta malis?
Nempe quia exilium patimur dominante nouerca,
Proſpera nobis cùm ſors habet exilium.
Sed breuis haud ſtabit longum proſcriptio tempus,
In patriam melior ſors reuocabit iter.

Per-

rfer, & obdures igitur; minùs aſpera torquent,
Quæcunque haud dubiæ ſpem breuitatis habent.

EMBLEMA XXXVII.

Auarus.



XXXVII.

Qui neſcit dare, neſcit accipere.


Excidit euerſo curru proſtratus Auarus,
Et fracto in nigro puluere crure iacet.
Diſruptis, circùm diſperſa pecunia ſaccis,
Gramineum vario contegit ære ſolum,
Ille ſed inualidus, totâ porrectus arenâ,
Colligere effuſas non valet ipſus opes;
Sed miſer à turbâ, nummorum parcus, & auri,
Gratuitum auxilium, prætereunte petit;

Feſti-

Feſtinus ſurdâ ſed præterit aure viator,
Clamantique manus auxiliumque negat.
Sed iaceas hîc vſque rapax, & ſordidus, inquit,
Abs te nam meritis gratia nulla venit.
Nemo tibi officio miſeratus ſeruiat vllo,
Nam dare qui neſcit, neſcit & accipere.

EMBLEMA XXXVIII.

Fortunæ diuerſitas.



XXXVIII.

Non omnibus idem.

Contingit raris eadem clementia ſortis;
In gremiis nunquam ſus, aſinuſque cubant;
At benè molliculis mulcentur terga catellis,
Dormit & in dominæ parua Lyciſca ſinu:
Quin & pinguis Hylax benè coctas nauſeat offas,
Vile-

Vile ſed in ſtabulo ſtramen aſellus edit.
terga tument, ſæuis lacerata flagellis,
Et ſimul impoſito pondere preſſa gemunt.
ſed exultans per lectos ludit heriles,
Seque vllum præter nec graue pondus habet.
uàm partita hominum variè ſunt Numina ſortes!
Quàm ſunt vix vlli conditione pares!
anſigit hic vitam, vitam quoque tranſigit ille,
Vita ſed haud vnum vitæ habet vlla modum:
uere ſi quis amat, modus eſt tutiſſimus illi,
Cui ſua ſors ſatis eſt, inuidiâque caret.

EMBLEMA XXXIX.

Deo iuuante.



XXXIX.

——*Facilis conſcenſus in altum*
ſuccollante Deo.

Mens humana loci ſemper cupidiſſima ſummi eſt,
Et Zebedæiadum vota ſuperba fouet:
Sed defecta iacens, propriis & viribus expers,
Nec potis eſt pennis ſcandere, nec pedibus.
Et tamen vſque ſuis votis ſuper exit Olympum;
Quærit & alterius ſubuenientis opem.
Sed lauat æthiopes, & capros mulget olentes,
Aut auium, implumi cum boue, captat iter,
Qui ſtolidus vanis, neglecto Numine, curis,
Spes tantùm humano ponit in auxilio.

placet aſcenſus;non vana ſuperbia,ſed te
Sidera ſumma ſuper Numinis aura vehat.
il iuuat abſque Deo:qui ſi procliuior in te,
Supponat votis brachia firma tuis,
ſe licet toto confractis corpore membris,
Et iaceas nullis vſque miſer pedibus,
rotinus, ætherios ſanus volitabis in orbes,
Aliteque & citius,qui Iouis arma tulit.
uccollante Deo facilis conſcenſus in altum.
Námque potens rerum eſt,nilque quietis eget:
lli ſola ſatis prona eſt ad poſſe voluntas;
Qui mundum digitis fertque refertque tribus.

EMBLE-

EMBLEMA XL.

Bilances Chriſti & Diaboli.



XL.


Quod leuat, illa grauat; quod grauat, iſta leuat.

Humana à geminis penduntur geſta ſtateris,
  Altera Chriſte tua eſt, altera Luciferi.
Vtraque inæquali ſed pondere, crimina penſat:
  Quod grauat, iſta leuat: quod leuat, illa grauat.
Opponit Chriſtus noſtris ſua funera culpis,
  Pondere, & hoc iuſto fit mea culpa leuis:
Noſtra, ſed hæc contrà, penſat mala crimina dæmon,
  Et lance iniuſtâ fit mea culpa grauis.
Nempe ſuus multum diſpar eſt finis vtrique;
  Tollere ſpem Dæmon, ſed dare Chriſtus amat.

EMBLE-

EMBLEMA XLI.

d pœnam aliorum prompti, ad propriam tardi ſumus.



XLI.

Propriis pronum eſt ignoſcere culpis.

Exercent crebras vulpeſque, leoque rapinas;
  Maiores prædo ſed leo maior agit.
Fur gallinarum ſpoliat vulpecula cortem,
  Et damna agricolis, ſed niſi parua, facit.
At leo, latro ferox, in cuncta animantia ſæuus,
  Quin hominum & promptus paſcere carne gulã eſt.
Et tamen ad nullum veniunt data damna tribunal,
  Nec ſe ipſe ad pœnas, ſuppliciumque vocat.
Sed quando eſuriens, pauido vulpecula furto,
  Ex patulâ raptam corte ferebat auem,

 Mox

Protinus ille fremens, ceu criminis vltor iniqui,
Irruit, & miſeræ tergora dente ſecat.
Illa cadens, eheu! Quam mos eſt peſſimus, inquit,
A ſæuis tigridum fortè profectus auis!
Omnibus ah pronum eſt propriis ignoſcere culpis;
Ad pœnas tantùm culpa aliena venit.

EMBLEMA XLII.

Philautia.



XLII.

Mirator formæ ſimius ipſe ſuæ eſt.

Turpis in oppoſito ſpectans ſe ſimia vitro,
Et catulos geſtans, gaudia bina capit.
Nam ſe, conſpectâ veluti Narciſſus in vndâ,
Diligit, & formam deperit ipſa ſuam:

Dein catulos mirata ſuos, atque oſcula figens,
Aut Veneris putat, aut Palladis eſſe genus.
Hæc cum ſpectamus: Nobis dat ſimia riſum,
Dicimus, & ſtulta eſt beſtia amore ſui.
Res amor eſt abſurda ſui, digniſſima riſu:
Sed cur ridetur ſimia, non homines?
Stultitiam an potiùs noſtram non rideat illa?
Nobis dux ratio eſt; hæc ratione caret.
At quota pars hominum proprio non peccat amore?
Riſuſque inſipiens ſimius ipſe ſui eſt?
Nemo etenim eſt ſapiens, qui ſe delirat amando;
Vſque amor hic ſtolidos, ridiculoſque facit.

EMBLEMA XLIII.

Meretrix.



XLIII.

Plus habet ipſa veneni.

Mortiferos oculos, animamq́ue, & virus echidna,
Martius & ſerpens, & baſiliſcus habet:
Sed letale magis meretrix, grauiuſq́ue venenum eſt.
Saluus ab interitu qui cupis eſſe, fuge.
Illa poteſt oculis toti dare toxica mundo:
Cùm canit, aut loquitur, ſæua aconita vomit.
Illi nulla fides, nulla eſt conſtantia mentis:
Non illam Veneris, non amor explet opum.
Illa ornare dolos, in prælia mittere fratres,
Hoſtibus inuictos vendere prompta viros,

Ill

la etiam miſeros hominum depaſcitur artus:
Hanc propter reges, regnaque verſa iacent.
erſica Perſepolis, miſerandaque Pergama Troiæ,
Sunt duo iam propter turpia ſcorta cinis.
t quid opus multis? quàm ſit mala beſtia ſcortum,
Diluuium, & Sodome, tuque Gomorrha doces.

EMBLEMA XLIV.

Ira.



XLIIII.

Sapiens moderabitur iram.

Atrox ira malum eſt omni ſpoliata decoro,
Nec ſe mente ſinit, cum furit illa, regi.
Nam ſimul atque animi rupit cohibentis habenas,
Fit grauis, ereptâ mox ratione, furor.
En, quàm mente procul Salaminius excidit heros,
Ille timor Priami, Graiugenumque decus!

Is, cum facundi linguâ ſuperatus Vlyſſis,
　Perdidit haud æquis Hectoris arma fabis;
Verſus in immanem rabioſâ bile furorem,
　Vltor in innocuas ſæuiit enſe ſues;
Ac mox, deterſo vindictæ errore, pudoris
　Impatiens, propriâ concidit ipſe manu.
O turpis rabies! ô ſæua proteruia mentis!
　Quæ, fruſtrata oculis, nil rationis habet!
Nec fidum verò ſocium diſtinguit ab hoſte,
　Et malè ſecuras reddit amicitias.
Hanc caue; vel tutum nemo te credat amicum:
　Namque nec ipſe tibi tutus amicus eris.

EMBLE-

EMBLEMA XLV.

Similitudo.



XLV.

Iungit amor ſimiles.

Nigra nigro nubat, ſociet ſe candidus albæ;
Diſparium rarò eſt ſat benè firmus amor
An boue cum nitidâ quiſquam ſociabit aſellum?
Cumq́ue lupo placidam iunxerit vllus ouem?
At cerne vt ſimiles facili nectantur amore:
En lea cum charo chara leone cubat.
Ceruam ceruus amat; paſcit cum tigride tigris;
Et coniux ſimo fit capra ſima capro.
Aſſiliunt agnis agni, canibuſque catelli.
Et comes it lepori tuta per arua lepus.
Vulpi hæret vulpes, vrſo coniungitur vrſa.
Atque aper in ſiluis conſociatur apro.

Quod natura docet cur non imitantur amantes?
 Quærimus at toties iungere diſſimiles?
Nectit amor ſimiles, pariumque ligamina firmat:
 Infirma imparium vincula nexus habet.

EMBLEMA XLVI.

Clementia.



XLVI.

Decet clementia Reges.

Aſpice, quæ quondam veteri ſpectacula Romæ
 Munere ſanguineo turpis arena dedit,
Terribiles vri, metuendis viribus vrſi,
 Et par Mænalio dente tremendus aper,
Raptoreſque lupi forteſque in prælia tauri,
 Si qua alia aut mitti beſtia digna fuit,

Horren-

ırrendo,ac Nemeës ſimili commiſſa leoni,
Victa theatrali puluere ſtrata iacent.
lus at imbellis,canibus neque credulus vllis,
Quo magè pro vitâ beſtia nulla timet,
ſidet intrepidus,poſitoque timore cruentos
Ingreditur rictus,tutior inde,lepus;
curuſque ſui veluti cum compare ludit,
Siue capi patiens,ſub pede ſiue premi.
uin pedibus pugnax paruis,etiam inſilit ipſe,
p...diaque exiguis morſibus ora petit.
c metuit tractare iubas, & ſcandere dorſum,
Per paulam petulans ire, redire gulam.
patiens placiduſque leo, velut inſcius iræ,
Gaudet & atrocis nil feritatis habet:
d facili blandoque auidus colludere,ſeſe
Luſori indulget,blanditiiſque fauet.
ùm fugit,inſequitur;mox cùm redit,accipit vlnis;
Denteque ceu fracto molliter ore tenet.
am fera(quid multis?)lepori dant ora receptus,
Suntque illi à ſæuo tuta latebra cane.
empe decet magnos mitis clementia reges,
Parcere ſupplicibus,frangere colla feris.
ed caueat,ne ſegnis alat clementia culpas.
Sit manſuetudo maxima,non nimia.

EMBLEMA XLVII.

Segnities.


XLVII

Frangit inertia vires.

Quid non blanda facit, mentem furata voluptas!
 Prô quot magnanimos perdidit illa viros!
Cernis, vt in Dalilæ gremio Saraæïus heros
 Dormit, & exitio proximus ille ſuo eſt.
Quàm breuis, & turpis ſomnus fuit iſte voluptas!
 Quot mala priuatim, quot dedit ille palam!
Ille cui ludus fuerat laceraſſe leonem,
 Ille Palæſtinis dira ruina plagis,
Qui Thamnathæas promptus ſuccendere meſſes,
 Ter centum iunctis vulpibus vſſit agros.

Ille

e potens validos, ceu ſtramen, rumpere funes,
Et maxillâ aſini mille necare viros,
qui Gazæos emouit cardine poſtes,
Impoſitoſque humeris in iuga celſa tulit,
randia qui poterat concuſſis templa columnis,
Atriaque impactâ ſternere firma manu;
enique tot damnis, cæſis tot millibus vnus,
Qui genti Hethææ clauus & vncus erat,
em fregit nullus, quem nulla potentia vicit,
Qui ſemper maior quolibet hoſte fuit,
unc fo[illegible]m gremio meretrix, & inertia ſternit,
Ludibr[illegible]umque facit, mancipiumque molæ.
quò n[illegible]c vires? quo nunc tua maxima, Samſon,
Eneru[illegible] rapto robore vis abiit?
regit mollis amor, fractos non antè lacertos,
Hoſtibus & vires vendidit ille tuas.
ictor eras magnus; pellex te femina ſtrauit:
Nunc poſt tot lauros, cæce, miſerque molis.
iſcite ab exemplo, ne frangat inertia quemquam,
Hei mihi, non illo fortior vllus erit.

EMBLEMA XLVIII.

Vitia abrumpenda.



XLVIII.

Breue ſit, quod turpiter audes.


Nemo, cui conſtans finxit præcordia virtus,
 Quo grauiter lædat numina, crimen amat.
Eſt expulſa tamen vitiis vbi ceſſit honeſtas,
 Et victæ regimen crimina mentis habent.
His bene præcipitur, breue ſit, quod turpiter audes:
 Ne firment longæ crimina dira moræ.
Sæpiùs ingenuum tollunt iterata pudorem,
 Culpaque radices continuata iacit.
Si culpa admiſſa eſt, patet indulgentia culpæ,
 Et citò mutari noxia vita poteſt.

Nil

il peius fœdi longâ aſſuetudine facti;
Quo ſemel aſſueris viuere more, manet.

EMBLEMA XLIX.

Vipera in electro.



XLIX.

Non ſemper meritos, quæ decet, vrna tegit.

Dum fors electrum Phaëthontia funderet arbor,
Vipera in effuſo capta liquore fuit.
Qui ſubitò allapſis vbi mox induruit auris,
Deprenſa, & tumulum vipera nacta ſuum eſt.
Dira quid Heliaco non debet beſtia ramo,
Quæ, quàm lethiferum nil niſi virus habet?
Anne poteſt quiſquam meritis, ac munere clarus,
Nobiliuſúe mori, ſplendidiuſúe tegi?

En latet, & lucet pretioſæ in marmore guttæ,
Et pretium meruit funere clara ſuo.
In terrâ Petrus, iacuitque in puluere Paulus,
Martyribus tumulum turpis arena dedit,
Chriſtus habet rupem: ſerpens ſepelitur achate.
Quàm ſæpè immeritos pulchra ſepulchra tegunt!

EMBLEMA L.

Inſtructio.



L.

Naturam inſtructio vincit.

Martius, en, promptis depugnat ſimius armis,
Et gladium atque haſtam non rudis arte vibrat.
Nouit & aduerſo dare vulnera cominus hoſti,
Et quæ torquentur, fallere tela poteſt.

Terba

Turba theatralis ſpectauit Belgica, palmam
 Cùm raperet promptis Simius iſte viris.
Non pater hanc docuit, quàm nouit ſimius artem,
 Aſt inſtructoris ſedula cura dedit.
Quos natura negat, dat namque inſtructio mores,
 Et fit ſe melior moribus illa datis;
Nemo adeò rudis eſt, vt non quid diſcere poſſit,
 Si modò doctores, quos imitetur, habet.

EMBLEMA LI.

Impunitas.



LI.

Crimine ſecuro ſcelerum fiducia creſcit.

Iuſtitiam dormire veta, qui publica, Princeps,
 Et priuata voles, ſalua manere diu.

Continet

Continet à vitiis raros reuerentia iuris.
  Tolle metum: laxis culpa feretur equis.
Dum dormit felis, ſpoliant penuaria mures,
  Et fertur nullo præda petita metu.
Quod ſi pigra Themis confractis dormiat armis,
  Et cubitum ſegnis, victa ſopore, premat;
Mox impune ſcelus toto graſſabitur orbe,
  Et ruet in vetitum turba ſceleſta nefas.
Iungentur Veneris turpiſſima furta rapinis,
  Et paſſim iniuſtâ cæde madebit humus:
Excutiet laxos ſecura licentia frenos,
  Nec pudor vllus erit flagitiiſque modus.
Et velut eluuie mergent fera crimina mundum;
  Nilque adeò ſacrum, quin violetur, erit.
Plus virtute valent reprobos conſtringere pœnæ:
  Depuduit, cùm nil culpa timoris habet.

EMBLEMA LII.

Timor animat.



LII.

Pro vitâ, & timidis porrigit arma metus.

Imbellem, ac timidum nunquam deſpexeris hoſtem;
Neue inſtes nimiùm ſi tibi terga dedit.
Tam nihil eſt pugnax, quàm ſpes abiecta ſalutis.
Tunc timidis animos reddit, & arma metus.
En audent pauidæ pro vitâ in prælia damæ,
Atque petunt vltrò, quos timuêre, canes.
Quin &, cùm reti, valido vel dente tenetur,
Pro vitâ inualidus militat ore lepus.
Nonne audax roſtro, miſeram cùm ceperit auceps,
Vt laqueum rumpat, parua repugnat auis?

Nun-

Numquam audax nimiùm fugientem preſſeris hoſtem:
Non rarò ad victos palma reuerſa redit.
Cæde hoſtem in campo, tunc cùm victoria certa eſt;
Sed deſperato, ſi fugit, adde pedes.

EMBLEMA LIII.

Critici.



LIII.

——*Iuueneſq́, ſeneſq́,*
Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Maxima naſuti nunc ſunt faſtidia mundi:
Cenſor in alterius quilibet acta ſedet.
Naſo nemo caret longo; iuueneſque, ſeneſque,
Et pueri naſum rhinocerotis habent.
Ad lances imi, medij, ſummíque trahuntur,
Et dat cuique ſuam tetrica turba fabam.

Mori-

ribus hic peccat, facies culpatur in illo,
ſte parum placidus, lenis at ille nimis.
digus eſt alius, nimiumque eſt alter auarus;
Hic ſegnis miles, Martius ille lepus.
mo vacat vitio; Criticorum ſemper, aduncum
Quo naſum criſpet, grex maleſánus habet.
aret in præſens meritò quem carpere poſſit;
Intrepidè ad libram penſitat ille Deum.
unc: iudicium, clama, non reddere mundum;
Priſcaque cenſorum ſcamna vacare dole.
naſutorum ſic pergat creſcere cœtus,
Mox mundus totus quid niſi naſus erit?

EMBLE-

EMBLEMA LIV.

Seruus improbus.



LIIII.

Lingua mali pars peſſima ſerui.

Plurima ſeruus habet vitia execranda malignus:
In cunctis primas improba lingua tenet.
Illa per innumeras ſarcit mendacia fraudes,
Illa ſuo domino maxima damna parat.
Illa ſerens iras, & ſæua odia inter amicos,
Sæpiùs in domini ſuſcitat arma caput.
Illa loquax turbat famulos, & iurgia miſcet,
Et totam rixis implicat illa domum.
Illa ſacrum domini, ſecretáque liminis effert,
Garruláque in medio collocat illa foro.

Illa

ſuum crimen, iuſtè reprehenſa, tuetur,
Atque canum dentes, ſi moneatur, habet.
nc illi obſequium, nunc dat mala iurgia potus;
Mox fit rixandi ſordida cauſa cibus.
rditus, & nequam, nunquā neque murmuris expers,
Serpentis linguam denique ſeruus habet.
probus Edeno talis fuit anguis in horto.
O domino, & ſeruis, quæ mala quotque dedit!

EMBLEMA LV.

Præda iniuſta.



LV.

Raro habet euentus impia præda bonos.

Incuſtodito lupus inſidiatus ouili,
Dum vorat abreptam fortè guloſus ouem;

Denu-

Denudata auidis hæſere in faucibus oſſa,
Obſtructâque gulâ, ſunt ouis vlta necem.
Quin etiam accurrens luctantem verbere paſtor
Occupat, exanimem dilaniantque canes.
Raros lucra diu faciunt iniuſta beatos,
Vixque habet euentus impia præda bonos.
Quod ſi fòrs nullus ſceleris ſeſe offerat vltor,
Flagitij vindex præda vel ipſa ſui eſt.

EMBLEMA LVI.

Magnanimus.



LVI.

Acuit me gloria laudis.

Laudis amans, palpo, & blandæ poppyſmate linguæ
Exultans, animos concipit acer equus;

Attol-

tollítque caput, durisque ſolutus habenis
Pulſat humum pedibus, luxuriátque toris.
ec ſcit ſtare loco, curſumque ſed occupat ipſe,
Et primos pugnax iactat in aſtra pedes.
uin ſi ſæua tubæ ſonuerunt prælia cantus,
Aſper in aduerſos irruit ille globos,
agra decent ſegnes, generoſos gloria paſcit;
Eſt aſini genio, verbere ſi quis eget.

EMBLEMA LVII.

Nimia ſecuritas.



LVII.


Spoliatis arma ſuperſunt.

Ne fidas nimium, tibi ſi victoria fauit,
Et ſpoliis nudo diues ab hoſte redis;

Nec refert, opibus quod ſit ſpoliatus, & armis.
  Sæpè etiam exutis fabricat arma dolor.
Si nimis agricolas miles deglubit inermes,
  Ex deſperato ruſtica turba furit.
Si deſint haſtæ, ſi prædo ſuſtulit enſes,
  Et tibi, quod timeat, nil putat eſſe ſuper;
Iratis fiet res quælibet obuia telum,
  Armáque vel lapides, raptaque ligna, dabunt.
Idcirco victum numquam contempſeris hoſtem.
  Abiecta audacem ſpéſque, furórque facit.

EMBLEMA LVIII.

Principia curanda.



LVIII.

Principiò neglecta labant.

ui quondam dixit, rectè dixiſſe putatur,
Dimidium facti,qui benè cœpit,habet.
cœptis pendent plerumque ſequentia primis,
Aſſolet & damnum non benè cœpta ſequi.
epe ruunt nixæ fragili fundamine turres,
Et poſita in fluxo puluere tecta cadunt.
rincipiis obſtant medici, cùm corpora morbus
Occupat,atque vrit languida membra febris.
ngenium quoque prima probant elementa:feracis
Portendunt meſſis tempora veris opes.

Incipe prudenter:ſpem dant benè cœpta benignam:
Dimidium damni,qui malè cœpit,habet.

EMBLEMA LIX.

Fiſcus & æraria.



LIX.

Pars optima fiſco.


Quæ mea credebam,mea non ſunt omnia,ſed qui
Diuiſor mecum eſt,optima fiſcus habet.
At quod habet,nullo nanciſcitur ille labore;
Meque quieſcentem non videt vlla dies.
Sulcantur noſtris,mea quæ dicuntur,aratris,
Et noſtri fiſcum parte laboris alo.
Diues agris,diues farris credebar aceruis:
At mea credulitas,ſentio,vana fuit.
Nam quia iure ſuo ſumunt æraria partem,
Dimidio fermè ſum modò pauperior.

Heu

u malè partimur, quod fertilis vbere campus
Extulit: alter opes comparat, alter habet.
feror, & vana deludor imagine rerum,
Dum reor eſſe meas, quas capit alter, opes?
m quì ſim diues, Bona tot quæ fiſcus ademit,
Hæc mea ſunt, nunquam dicere qui potui?
diues, tutò ſua qui bona poſſidet vnus:
Cui ſua non ſua ſunt, is mihi pauper erit.

EMBLEMA LX.

Feritas mitigata.



LX.

Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit.


ūam placidè ducunt mites carpenta leones,
Et domitos rictus ferrea fræna regunt!
qui per Libycas ſoliti dare funera ſiluas,
Vt tantùm fremerent, omnibus horror erant,

Nil deſperandum: duros & cultus & ætas
Emendat mores, nec ſinit eſſe feros.
At non hîc vlli fas ſit ceſſiſſe labori,
Et ſit, quo poſſis flectere corda, modus.
Manſueſcunt cultu tigris, parduſque, leoque,
Et fera ſiqua nemus ſæuior vlla colit.
Molleſcunt adamas, marmor, ferrumque, chalybſque
Et facit hoc ſanguis, malleus, atque focus.
Cur inuicta homini glacies in pectore duret?
Molliri & nullâ cor ratione queat?
Fac modò culturæ patientem commodet aurem:
Vel currum, poſitâ mox feritate, trahet.

EMBLE-

EMBLEMA LXI.

Vita veredaria.



LXI.


Vitæ ne crede fugaci.

Ociùs ad tumulum properans currente veredo
  Vita ſepulchralem corripit acta viam.
Sit proba, ſit conſtans, ſit acutis libera morbis,
  Longæuoſque tibi ſpondeat vſque dies:
Tu tamen, exemplis doctus ne crede fugaci:
  Mentitur, quiſquis fallere ſemper amat.
Aſpice quàm cupidè fugiens diſcedat ab illis,
  Queis fallax nuper mollia verba dedit.
Hi ſpes accuſant: illi promiſſa repoſcunt,
  Incaſſumque moras continuare iubent.

Illa ſed irridens monſtrat ſua terga, volátque,
  Et, Mox ad tumulum conueniemus, ait.
Nulla à me facta eſt vobis iniuria: noſtis,
  Quàm mihi ſit fallax, & malè nixa fides.
Si vobis ſapiens, & mens non læua fuiſſet,
  Non vos attereret, me fugiente, dolor.
Qui legis hæc, audi: vitæ ne crede fugaci:
  Nam promiſſa tibi dùm facit, illa fugit.

EMBLEMA LXII.

Paupertatis remedium.



LXII.

Sedulus obſequio fert alimenta labor.

Si cui robuſto miſera eſt, atque indiga vita,
  Promptus is obſequio, ſitque laboris amans.
Turpe eſt, grande tumens ſi monſtret cornua pauper,
  Tamquam egeat nullâ ſubuenientis ope.

le ſitim patiens Acheloia pocula libet,
Ille famem ſemper non ſatiatus alat.
urpius eſt, inopum fugiat ſi turba laborem,
Cui faciunt vacuas otia pigra manus.
æc circum pagos, vrbiſque frequentia curſans
Compita, tranſmittit deſidioſa diem:
ec pudor eſt illi, nullo ſudore paratos
Mandere, porrectos per fora longa, cibos.
æc fæx ad iuſtum pœnis cogenda laborem eſt;
Aut Eriſichtoniâ digna perire fame.
entoſus vitium grande eſt in paupere faſtus;
Sed magè pigritiæ nomine ſi quis eget.
bone, quò lucri te ſpes vocat: impiger vrge,
Quod tibi proſit, opus: nec labor ipſe grauet.
ic epulis fungere tuis, partoque fruere.
Qui tumidus fuerit, vel piger, eſuriat.

EMBLEMA LXIII.

Pro vitâ.



LXIII.

Cùm timet exitium, tunc pugnaciſſima vita eſt.

Morſibus, ecce, canum, iaculíſque arrectus in iras,
Vt ferus in pugnam ſpumeus ardet aper!
Igne micant oculi, ſtant rectæ in tergore ſetæ,
Fulmineóque auidos diſſipat ore canes.
Huic lacera impacto rumpit ferus ilia dente,
Hunc terit impoſito proſubigitque pede.
Nil proſunt haſtæ: præfixas excutit haſtas:
Quos videt obſtantes, collocat ipſe viros.
Retia ſi tendas, diſrumpet retia roſtro,
Tranſiliet ſaltu forſan & illa ſuo.
Nunquam fulmineo tam ſæuus dente fuiſſet,
Si foret in curſu copia facta fugæ.

Cù

Cùm vim fecerunt venabula, tela, canéſque,
Plurimáque ad tenſas ruſtica turba plagas;
Senſit & exitium dubiæ iam creſcere vitæ,
Atque euadendi vix ſupereſſe viam;
Tum ruit aduerſos, vnum hoc dum reſtat, in hoſtes,
Sanguineâ certus non ſine ſtrage capi.
Ne nimis exagites, quem ſors obiecerit, hoſtem:
Perfurit, ante oculos cum ſua fata videt.

EMBLEMA LXIV.

Non conuitio, ſed gladio.



LXIIII.

Augent conuitia rixas.

Femineis eſt turpe viro contendere rixis,
Ingeſtíſque hoſtem commaculare probris.
Sed cui magnanimo ſub pectore viuit Achilles,
Et potior linguæ eſt garrulitate manus,

Non fremet,& probris acuet furialibus iras:
 Diſſidij finem promptus ab enſe petet.
Ne tamen arripiat me iudice protinus arma,
 Et pugnam, vt vires experiatur, amet.
Fœda vero reprimat tumidæ conuitia linguæ;
 Námque parum cordis, pluſque timoris habent.
Sæpè aliquis nullam retulit poſt vulnera laudem,
 Qui poterat ſaluâ laude redire domum.
Parce probris igitur, ne pax, quam talia lædunt,
 Protinus armatâ ſit violanda manu.

EMBLE-

EMBLEMA LXV.

His nihil edacius.



Res cunctas tempus, mors, ſeniumq́; vorant.

Ecce vacant epulis tempus, mors, atque vetuſtas,
 Horarumque infert turba miniſtra dapes.
Nuſquam, crede, fuit conuiua voracior iſtis:
 Cùm ſimul abſumant plurima, plura petunt.
Ecce onerant hominum, pecudúmq; cadauera mēſam,
 Quicquid & oceanus, feraque terra tulit.
Sed ſaties nulla eſt: fiunt quoque fercula turres,
 Et nunquam ſaturæ ſunt cibus illa gulæ.
Quin conſumpta iacent ſeptem miracula mundi,
 Nec ſatis: ad prædam fit gradus vſque nouam.

Exeditur ferrum ferroque valentius aurum,
Quod vix immiti molliit arte faber.
Atria, templa, domus, & firma palatia regum,
Non exſtinguendæ dant alimenta fami.
Hæ quoque te poſcunt menſæ: tu miſſus & illis,
Cùm benè te tandem paueris, vnus eris.
Omnibus abſumptis (quid dente voracius illo?)
Menſa his conuiuis vltima mundus erit.

EMBLEMA LXVI.

Impedimenta tollenda.



LXVI.

Tolle quod obſtat.


Quid iuuat aura fauens, ſpiranſque à puppibus Auſter,
Et mare pacatum, tenſáque vela Notis,
Anchora ſi proram retinet, neque fune ſoluto
Ire licet, quo te ventus & vnda vocat?

Qui

Qui gaudere bonis rerum ſucceſſibus optas,
 Et tua per placidum currere vela fretum;
Ne ſit ſegne tibi ſtudium remouere quod obſtat,
 Iámque profecturæ demere vincla rati.
Scandere ne raptis videare ad ſidera pennis,
 Credere vel tardum poſſe volare bouem.
Res ſtulta eſt, pedibus greſſum tentare reciſis;
 Grandia vel mancâ ſpargere tela manu.

EMBLEMA LXVII.

Auctore Deo.



Quid non ope poſſumus illa?

Quæ miranda vides toto pulcherrima mundo,
 Principiò fœdum cuncta fuere nihil.
At mandante Deo, mox iuſſa venire ſub auras,
 Ociùs ex nihilo machina tanta ſtetit.

Siccus Erythræas calcauit Hebræus arenas,
Et vaga, ceu murus, conſtitit vnda maris.
Nunniades curſum iuſſit conſiſtere cœli,
Parque ferè eſt geminis vnica facta dies.
Mille Palęſtinos potuit concidere Sampſon,
Et ſua fortuit repperit arma dolor.
I nunc, & pauitans rebus diffide ſiniſtris:
Auxilium Superi, tu modò poſce, dabunt.

EMBLEMA LXVIII.

Propter ſecuritatem.



Ne allidar.

Cùm ſcopulos, vndáſque inter, ventóſque furentes,
Allidi puppes, naufragiúmque timet,
Nautica vicini metuens & cauta pericli,
Quaſſatam properat figere turba ratem.

Hi

[illegible]is ſtudium eſt, forti proram firmare rudente,
Dum curua iratas anchora mordet aquas.
[illegible]ra aliis, ſæuo ſubducere carbaſa vento,
Horridáque in tuto frangere flabra ſinu.
[illegible]ic quoque ne caram cogatur perdere vitam,
Tot curis partas in mare iactat opes.
[illegible]cilicet eſt animi virtus laudanda ſagacis,
Præuiſum cautâ pellere mente malum.
[illegible]eſes homo eſt, & mentis eget, dignuſque perire eſt,
Qui graue ſollicitâ non fugit arte malum.

EMBLE-

EMBLEMA LXIX.

Quieſcat.



LXIX.

Somnum ne rumpe leoni.

Deſine ſopito ſomnum turbare leoni,
  Ne fias auctor funeris ipſe tui.
Dum iacet extentus, patuláque ſub arbore dormit,
  Secura in ſiluis cetera turba manet.
At ſi fortè canum reſonet latratibus æther,
  Deſerat & pulſus lumina feſſa ſopor,
Exiliet, repetetque fremens & concitus irâ
  Cum multo ſomni fœnore damna ſui.
O qui tranquillam quæris traducere vitam,
  Tutáque fæcundæ munera pacis amas;
Alterius dulcem caueas turbare quietem,
  Præſertim ſi te fortior alter erit.

N

Nec tam difficile eſt tutò requieſcere poſſe,
Si ſomnum alterius rumpere nemo velit.
Hinc odia, & clades, & tot diſpendia belli,
Quòd ſua ſopito ſomnia nemo fouet.

EMBLEMA LXX.

Arma regia.



LXX.

Rex iungat vtrumq;.

Conueniunt Regi pietas, atque aſpera bello,
Si fortè ad pacem ſint opus arma, manus.
Nemo mihi ſolas Regem defigat ad aras:
Plus aliquid regni cura ſaluſque petunt.
Sit Diuûm reuerens, ſit ſeruantiſſimus æqui,
Et priſcâ vincat religione Numas:
At pariter, ſi bella vocent, conſurgat in arma,
Nec rudis alterius prælia Marte gerat.

Ante aras alius,tenſis ad ſidera palmis,
　Procubet,& multâ cum prece thura ferat.
Et modò pro populo cæleſtes leniat iras,
　Et modò pacato Numine multa roget.
Et modò diuinos tractet voluatque libellos,
　Et flammas animi nutriat inde ſui.
Sic viuat,ſic ſemper agat, ſic libera ducat
　Otia,dum cælum fataque ſera vocent.
Et ſat laudis habet, propriam curaſſe ſalutem;
　Publica nec quicquam res capit inde mali.
Diſtendunt magnos grauiora negotia Reges:
　A templis illos Martis arena vocat.
Rem geminis illic peragant feliciter armis:
　Hæc pietas,iſtæc publica cura dabunt.
Felices,quibus hæc firmo connectere vinclo
　Contigit! haud læuo numine bella gerent.

EMBLE

EMBLEMA LXXI.

Oculi alieni.



LXXI.

Miſerum eſt alieno cernere vultu.

Hei mihi, quàm miſerum eſt alieno cernere vultu
  Omnia! conſpicias, quæ potes, ipſe tuo.
Aſpice, quàm ſalebras offendat cæcus ad omnes,
  Sit licet aſſuetæ dux canis antè viæ.
nfelix Princeps, qui dum ſibi credita ſpectat
  Omnia, nil oculis excutit ipſe ſuis!
Ducitur ah, non quò regni tutela ſaluſque,
  Sed quò ductoris commoda ſpeſque trahunt.
Vtque ſit ille ſagax, & gnarus quà ſit eundum,
  Qui præit, & tuto tramite ſignat iter:
Non tamen efficiet, ne peccent plurima Reges.
  Sæpe labat, catuli qui præeuntis eget.

Quid?

Quid? quod non rarò prudentia deſerat ambos.
I nunc, alterius fidere diſce oculis.

EMBLEMA LXXII.

In vtrumq; paratus.



LXXII.

Non bella magis, quàm fœdera pacis.


Me nec bella iuuant tranquillæ pacis amantem,
Noſtra nec armorum pectora terror habet.
Elige quid cupias: vin' ſim tibi fidus amicus?
An tecum, rupto fœdere, bella geram?
Nil ego detrecto: prompta eſt mihi dextera bello,
Armaque ſi quiſquam ſumat, in arma feror.
At ſi frugiferæ placeant magis ocia pacis,
Otia me capiunt: pacis amator ego.
Turpe timor regi; pacem ſed turpiùs odit;
Is laudandus erit, quiſquis vtroque caret.

Omne

mne tulit punctum, qui cùm ſit fortis in armis,
Pacis amore tamen tardus ad arma venit.

EMBLEMA LXXIII.

In proprio Carthago perit.



LXXIII.

Finit in hoſtili citiùs victoria bellum.

bello peteris, bellum violentus in hoſtem
Tranfer: in hoſtili bella gerenda ſolo.
aliam Pœnus victor ditione teneret,
Arma niſi in patriam Pœna retracta forent.
nnibal Italiâ fertur lacrymaſſe relictâ,
Et patriæ exitium pertimuiſſe ſuæ.
eſpexit certè trepidum victoria Tybrim,
Victaque victores ſub iuga Roma dedit.
Quin præſaga ſuæ iam tum Carthago ruinæ,
Nondum victa quidem, ſed quaſi victa fuit,

Cùm

Cùm perculſa metu regnis exceſſit Iberis,
Et Tyrias arces vidit ab hoſte premi.
Scilicet hoſtili Mars eſt animoſus in agro,
Et quaſi iam victo commoda ab hoſte capit.
Irruit, & numquam magno niſi fœnore pugnat,
Seu quaſi victor ouat, ſeu quaſi victus abit.
Semper in hoſtili ciues patiuntur inermes,
Déque his, vt vincat, ſubſidia hoſtis habet.
Nunc legitur miles, nunc nummos cogit, & arma,
Nunc frumenta iubet, nunc dare mandat equos.
Nunc lectas bello ſedes circumdare vallo
Imperat, aut foſſis mœnia tuta locat.
Denique, firmatis patriæ per viſcera caſtris,
Cogitur ipſa ſibi condere terra iugum.
Hinc ſi bella paras, tellus ferat hoſtica pondus:
Hoc ſummum, ſi vis vincere, pondus erit.

EMBLEMA LXXIV.

Nutrix regia.



LXXIIII.

Huic lac non conuenit omne.

ouida ſollicitis natura animantia curis
Progeniem proprio paſcere lacte docet.
us homo ſobolem nutrici tradit alendam,
Vberáque infanti ſubtrahit ipſa parens.
: tamen apta ſatis totâ reperitur in vrbe,
De quâ prima trahat vitæ alimenta puer.
erdum infames obeunt hæc munera matres,
Siue *a* lupi coniux, ſeu *b* canis illa fuit.
color, & fœdo corruptum ſanguine corpus,
Turpe vel obſcœno pectore vulnus habent.

Vnde


a *vt Romuli.* b *vt Cyri.*

Vnde inſtillatis infecta per vbera ſuccis,
Pro vitæ bibitur nectare fœda lues.
Elige de multis, quam ſugat regius infans:
Ne ſit de quouis iſta papilla grege.
Morbida corrumpent ſanum contagia corpus:
Atque animo vires ipſa alimenta dabunt.
Tune leæ catulos lutulentam lambere matrem,
Aut pauidi leporis creſcere lacte velis?
Regali puero nutrix non conuenit omnis:
Spem, quanta eſt, regni femina talis alit.
Sit proba, ſit prudens, ſit corpore ſana, valenſque,
Sit cuius mores mens generoſa regat.
Denique ſit de quâ virtus cum lacte bibatur,
Et quæ det puero, quod daret imperio.

EMBLE

EMBLEMA LXXV.

Vipera Tiberij.



LXXV.

Non ſemper gratia Regum.
Seruat magna malos.

ethalem Cæſar nutrire Tiberius anguem
Sueuerat, & propria paſcere ſæpè manu;
ipera fœda fuit, diro metuenda veneno,
Et nuſquam tuto viuere digna loco,
ed quia ab Auguſtâ ſumebat pabula dextrâ,
Parſque voluptates Cæſaris inter erat,
eptabat totam nullo lædente per aulam,
Cæſareoque diu tuta fauore fuit.
ed non euaſit dignum ſe noxia fatum
Beſtia, formicis denique facta cibus;

Namque in granilegum dum ſors delabitur agmen
A nigro interiit præda vorata grege.
Indoluit Cæſar: ſed quàm malè diſtulit ille,
Formicis pœnas vipera fœda dedit.
Ne confide nimis, ſi te bona gratia regis
Extulit, & grandis vexit in alta fauor,
Sed deteſtandum faciant mala crimina vulgo,
Quantumuis fueris regis amore potens.
Securum nil crede tibi, licet altus ab omni
Et metui populo, vel videare coli.
Tu non redderis procliui Principe tutus,
Sed tibi qui ſemper ſit metuendus, erit.
Si te, quod rarum eſt, non fallat gratia regis,
Sed tutum aſſiduo præſtet amore fauor;
Non tamen euades, iuſta at petet vltio pœnas:
Et rege inuito, plebe furente, dabis.

EMBLE

EMBLEMA LXXVI.

Netrices.



LXXVI.

Dedecet vtilitas, quâ non ſeruatur honeſtas.

Turpe, atque in vitio eſt, linguæ nimis eſſe loquacis,
Nec iuſtum in verbis poſſe tenere modum:
Futilitas linguam nunquam decet vlla virilem,
Fœmineis quamuis proderit illa colis.
Aſpice, vt ad ſeram tacita ſub nocte lucernam,
Pellatur nuribus garrulitate ſopor.
Lignea non tanto reſonant crepitacula motu,
Illarum quantos dant hypocauſta ſonos,
Aut riſu, aut cantu, vel turpi tota cachinno,
Tecta, vel incomptâ garrulitate ſtrepunt.

Ludicra de cunctis garritur fabula rebus,
Qualemcunque loquax fama, vel aura tulit:
Nunc hic formoſus, nunc deteſtabilis ille eſt;
Iſta domi benè rem tractat, at illa malè:
Alter opes cumulat, nummos ſed prodigit alter,
Durus hic vxori eſt, ſed nimis alter amat;
Hæc curâ, ac meritis mulier digniſſima laude eſt,
Crimine ſed famam perdidit illa ſuam.
Denique netricum ſic cenſet cuncta tribunal,
Datque cuique ſuam garrula turba notam.
Fœdius inuenias quicquam ne hoc more loquaci,
Quo faciat netrix garrula quemque reum?
Et tamen hac pelli vult turba loquacula ſomnum;
Et plenam minui garrulitate colum;
Quin feruere etiam, dum garrit lingua, laborem;
Creſcere & inceptum, cum vigilatur, opus.
Iſta quidem verè pro ſe fert tinnula netrix:
Proficit omnis enim garrulitate labor.
Vtile, ſed turpe eſt, ſi quis præponat honeſto.
Cum decore vtilitas nil paritatis habet.
Vtile ſit famulæ dum torquet ſtamina turbæ,
Palladium vt creſcat, vel releuetur opus;
Non tamen abſtergent famoſæ crimina linguæ,
Semper at exemplum garrulitatis erunt.
Vtile quicquid agis, ſit regula ſemper honeſtas,
Nil fœda vtilitas vtilitatis habet.

EMBLE

EMBLEMA LXXVII.

Experientia.



LXXVII.

Experientia perficit artem.

quis apollineis quærit clareſcere ſuccis,
Et magnum medicâ nomen ab arte petit,
e, quod eſt nactus, ſtudium ſibi roborat vſu;
Vim magnam ad laudem ſedulus vſus habet.
uid prodeſt doctas didiciſſe machaonis artes,
Artis inexpertum ſi rude pectus habes?
l famam in cunctis iuuat experientia rebus,
Omneſque artifices perficit illa ſcholas.

EMBLEMA LXXVIII.

Meliora ſequor.



LXXVIII.

Ne pudeat meliora ſequi,licet extera.

Quam regit humanas diſpar ſententia mentes,
  Quamque iſti raro, quod probat ille,placet!
Sunt,quibus externi mera dant faſtidia mores;
  Sunt,queis nil melius,quam peregrina,ſapit.
Neutra mihi prudens,neutra amplectenda videtur,
  Sana nec alterutro vita gerenda modo.
Non ego præ reliquis laudanda domeſtica ſemper,
  Extera vel propriis anteferenda reor.
Sed variat magno mundus diſcrimine mores,
  Quælibet & regio,quo ſuperetur,habet.

ethlemum in patriam quondam redeunte Noëmi,
Viſa ſequi ſocrum eſt vtraque velle nurus;
Moabitis erat tellus natalis vtrique,
Falſorum cultrix vtraque cæca Deûm:
Vna ſuos repetens ritus, gentemque, domumque,
Ad varios rediit, fœmina ſtulta, Deos.
Altera at antetulit (ſocrum comitata fidelem)
Et patriæ, & laribus numina vera ſuis,
Hæc meruit, meliora ſequens, licet extera, laudem,
Grandiaque in Chriſti nomina ſtirpe gerit:
Illa obſcura latet, fors & damnata ſub orcum eſt,
Poſthabuit patriæ dum peregrina ſuæ.
Qui ſapiunt cautè ſemper meliora ſequuntur;
Plerumque inſipidis deteriora placent.
Cæca nec hic ſanam corrumpat paſſio mentem;
Nec quanam in patriâ ſint meliora roges;
Ecce patet mundus, fac ſit tibi patria mundus;
Sic vſque in patria ſunt meliora tuâ.

EMBLEMA LXXIX.

Iupiter ſpoliatus.



LXXIX.

Sceleri dat inertia vires.


Iupiter hæc pateris? rupto neque fulmina cœlo
  In tam ſacrilegos, deſidioſe, iacis?
Ecce, gigantæi reperuntur crimina belli,
  Tuque veternoſus, ſegnis, inerſque ſedes?
Nonne, Syracoſius ſcelerum ſentina tyrannus,
  Cernis, vt exſpoliet per ſacra templa Deos?
Omnibus, en, gemmas raptor detraxit, & aurum;
  Nudoque in ſaxo numina nuda ſedent.
Nulla ſuos retinent ſpoliata altaria cultus;
  Muneraque effractis ſunt ſacra rapta ſeris.

Quid?

ııd?tua(vah!)etiam ſurax inuadit in ora,
Barbamque à labiis diripit ille tuis.
pateris!lgniſque ſedes!neque concutis orbem!
Et te languentem nil niſi torpor habet!
uid fiet tandem?ſceleri dat inertia vires;
Nunc prædæ barba eſt; mox ſpolium ipſus eris.

EMBLEMA LXXX.

Non vi, ſed voce.



LXXX.

Fama potentior enſe.


Qui tela, & gladios, haſtas contemnit, & arma,
Dicitur à galli voce timere leo:
Atris haud metuit fortiſſima beſtia vires,
Quæ poſſet valido ſternere dente tygres;

Vincitur at cantu ; vox eſtque potentior enſe:
  Eſt vis in cantu, terror ab aure venit.
Quiſquis amas magnum tibi quærere nomen ab armis
  Aut credis manibus robur ineſſe tuis;
Vocalis ſonitum caueas contemnere famæ;
  Sæpè minus famâ roboris enſis habet.
Quem facerent vires vilem, fert fama timendum,
  Et vaga robuſtis incutit illa metum:
Quin ſæpe ante tubam victos huic tradidit hoſtes,
  Qui coram in pugnâ nil metuendus erat:
Magnum pondus habet nomen, quod fama per vrbes
  Extulit, & clarâ laudat in orbe tubâ.
Hinc decus, & terror veniunt; hinc denique lauri;
  Qui vinci poterant, vincere fama facit.

EMBLE-

EMBLEMA LXXXI.

Virtus inuidia maior.



LXXXI.


Non obſcuror licet illa ſequatur.

Vmbram corpus habet claro ſub ſole ſequentem,
Hocque magis nigram, quo nitet ille magis.
Nec tamen vmbra valet corpus ſubducere ſoli,
Fœda ſed à tergo cogitur illa ſequi:
Imo caput ſuprà rectè ſtet lampade Phæbus,
Clarius exardet corpus, at vmbra fugit.
Inuidiæ hæc ratio eſt; vitio nil turpius illo,
Virtutemque odio liuida ſemper habet.
Hancque Theonino diſcerpere ſordida dente,
Nigraque æternum perdere nocte ſtudet:

Frendet at in vanum, ventoſque ammordet inanes;
Virtus clara manet; pœna ſit ipſa ſibi.

EMBLEMA LXXXII.

Ante ponderandum quam bellandum.



LXXXII.

Ante tubam trutina.

Diua redux cœlo, iuſtâ quæ cuncta ſtaterâ
Penſitat acta hominum, datque cuique ſuum,
Sanguineum prudens ſpirantem prælia, Martem
Impoſitum trutinæ ponderat ante tubam:
Grande etenim pondus, dum mox ruiturus in arma,
Exitium & cædes mars meditatur, habet.
Non eſt molle malum, neque ſunt incommoda nati
Quæ ciet horrendo buccina rauca ſono.

ſpice deiectis ſqualentia mœnia muris,
Vſtaque tam multis templa, domoſque, locis;
ſpice vaſtatos tot funera ſparſa per agros,
Dum cum ciue iacet terra ſepulta ſuo.
arre caret tellus; inculta noualia fruge;
Inuenit & nuſquam pabula tuta pecus.
Hinc opus eſt valdè, ſtrictè ante expendere bellum,
Quam Mars armatos cogat in arma viros;
Ne bella, ad iuſtam malè ſors expenſa bilancem,
Inſipiens vertas in caput ipſe tuum.

EMBLEMA LXXXIII.

Pietate & armis.



LXXXIII.

Operis planabunt aſpera iunctis.

Nulla ſalus bello, pacem ſed poſcimus omnes;
  Bello ſi qua venit pax, pretioſa venit.
Ius tamen, aut quenquam ſi pax compellat ad arma,
  In bellum pulsâ ne pietate ruat:
Sed pietas iuſto iungat cum Marte laborem,
  Et ſimul ad pacem planet vterque viam.
Martis enim durum eſt, & ſaxa per aſpera tendit,
  Nî Pietas, armis iuncta, gubernet iter.
Imo probant nunquam cæleſtia numina Martem,
  Impius is ſociâ ſi pietate caret,

Inde

nde ruunt clades, atque hiſpida damna ruinis,
Et ſcelerum propero pœna ſeuera pede:
nde redit claudis fugiens victoria plantis,
Ex caſtris pietas quòd procul exul agat.
Illa reducatur, fiatque per agmina ductrix,
Et planam ad pacem mox dabit illa viam.
Hæc animos addet caſtris, hæc diriget enſes;
In capita hæc hoſtis ſpicula miſſa reget;
Hæc procul eripiet fractis animoſa timorem;
Et dabit in gelidos caſtra inimica metus.
Tuncque reuerſa, tuis fautrix victoria ſignis,
Abripiet captos in tua vincla globos.
Et tuus, hoſtili victor de cæde, reducet
Laurigeris Mauors agmina læta comis.
Tot Conſtantini, Caroli tot bella recenſe,
Atque tot Iſacidum prælia facta ducum,
Multiplices Martem cernes retuliſſe triumphos;
Ille triumphator ſed pietate fuit.

EMBLEMA LXXXIV.

Conſilio & armis.



LXXXIIII.

Arma foris vigeant, conſiliumq́; domi.


Arma foris vigeant, inimicas concute terras,
  Hoſtis pacificos ſi neget ire dies:
Cura at, bellantem regat vt prudentia Martem,
  Et vigilet ratio, conſiliumque domi
Hæc ſunt, queis geritur, Martis duo lumina, bellum;
  Iſtis ſi careat, nil ſine clade geret.
Eſt oculis ſtultum properare in prælia cæcis,
  Percutiet ventos ſæpius iſte leues.
En Troiana iacent exuſtis Pergama muris;
  Indiga conſilij, cum caperentur, erant.

m,
Incyta

Inclyta tot palmis, ſubiit carthago capiſtrum;
Conſilio patres tunc caruiſſe ferunt.
Contrà tot partis quæ claret Roma triumphis,
Quot cernis regnis impoſuiſſe iugum?
Scilicet illius rexit prudentia Martem,
Arma foris habuit, conſiliumque domi.

EMBLEMA LXXXV.

Larua Hortenſis.



LXXXV.

Minuit præſentia famam.

Sordidus excultis cuſtos ſtat truncus in hortis,
Deformis fœdis, terrificiſque modis.
Ill[illegible]e minax, alius ſed falce tremendus,
[illegible]riæ vultus, iſte leonis habet:

Aſt

Aſt alia, in varias monſtrorum ficta figuras,
  Excubat, & ſtolidas larua repellit aues.
Et plumata quidem dum circum turba vagatur,
  Et ſpectra ex altis proſpicit arboribus,
Primum ſtulta procul, vano correpta timore,
  Sic cuſtoditos territa vitat agros;
At poſtquam propius paulatim accedere diſcit,
  Vllaque nec vitæ ſigna, notaſue videt,
Abiicitur metus, & pedetentim audacia creſcit,
  Vicinamque audet peruolitare viam;
Mox etiam vlterius timidis acceditur alis,
  Tutaque in adiunctâ proxima ſæpè ſedet.
Deniquè iam toties, ſpretâ formidine, victrix,
  Ipſius in laruæ ſe locat illa caput,
Atque, metu poſito, truncos contemnit inanes,
  Conſpurcans turpi tempora ſpurcitie.
Hæc ars eſt mundi. dat ſæpè abſentia famam
  Illi, qui præſens deſpiciendus erit:
Sæpè etiam contrà minuit præſentia nomen,
  Quod per celſa abſens ſidera fama vehit.
Forma etenim præſens ſolita eſt oſtendere næuos,
  Quos celat tacitis fama remota tubis.
Cum ſtantes auium laruas videt agmen in hortis,
  Eminus, horrendos iudicat eſſe viros,
Sed propè cum volitans laruis iam cominus adſtat,
  Eſſe videt, præter ludicra ſpectra, nihil.
Ne cerni nimium cupias, oculiſque probari,
  Quem probat auditus, ſpernere viſus amat.

EMBLE-

EMBLEMA LXXXVI.

Sapientiæ vis.



LXXXVI.

Fortunæ ſapientia victrix.


Stant, fortuna globo, at quadro ſapientia ſaxo;
Hæc firmo, & ſtabili, fluxa ſed iſta pede.
Illa, fidem nulli ſeruans, incerta vagatur,
Vitæque ambiguo verſat in orbe rotam,
Hæc ignara doli, & nunquam non fida clienti,
Fortunam forti deprimit vſque manu.
Et turpe, & miſerum eſt, lubricæ vertigine ſortis
Circumagi, & vento ceu variante vehi.
Stat conſtans animus, fortunæ victor iniquæ,
Neſcius illius perfida regna pati.

Qui

Qui vult carnifices excludere, corde timores,
  Vt ſua delectet pectora grata quies,
Fortunam virtute domet; ſapienſque fugacem
  Deiiciat fracto, quo volat illa, globo.
Ni facis aſſiduis debes ludibria curis,
  Et ſemper captâ mente pudendus eris.

EMBLEMA LXXXVII.

Labore & induſtria.



LXXXVII.

Fortunæ ſum faber ipſe meæ.


Non ſemper verum eſt; fortuna volubilis errat:
  Sed ſibi fortunam fingere quiſque nequit.
Sunt etenim, quibus eſt labor, aut induſtria nulla.
  Queis ſegnis genius marcet, & vſque ſtupet;

Qui

Qui tamen aſſiduis captantes ſumma querelis,
Fortunam accuſant vertere terga ſibi.
Non rectè hi ſæuam culpant, me iudice, ſortem,
Debebant propriam carpere ſegnitiem.
Ignauas fortuna manus, animoſque minutos
Præterit, indignos muneribuſque putat:
Ad vigiles ſed blanda venit, ditatque ſagaces,
Ocia queis iuncti menſque, laborque fugant.
Cur ditet pigros? cur commoda præſtet inerti?
Fortunam ſegnis deſerit ipſe ſuam.

EMBLEMA LXXXVIII.

Canis & felis.



LXXXVIII.

Firmatur ab vſu
A teneris contractus amor.

Quorum perpetuas celebrant diuerbia rixas,
 Vt qui inter ſeſe prælia ſemper habent,
En, poſitis odiis comedit cum fele Melampus;
 Vnica & ambobus porrigit olla dapes:
Quippe ſemel teneris vſu contractus ab annis,
 Vſu etiam durat continuatus amor,
Vſus habet magnas ſtringendi pectora vires;
 Excolit officiis vſus amicitias:

Vſus

ıs amicitiæ ex inimicis reddit amicos,
Languet,& emoritur,ſi iacet vſus,amor.
nueniant crebro, ſe crebro vtantur amici,
Viſus amicitias,linguaque,voxque fouent.
nc procul à charo noli diſcedere amante;
Tempore vel longo ne videare, caue;
t ſi res cogat longinquas viſere terras,
Suppleat abſentis litera miſſa vices;
nga etenim ex animis abſentia delet amores,
Fotor amicitiæ nam ſimul vſus abit:
ſſat & officium,& dilecti cultus amici,
Cunctaque deficiunt,queis foueatur amor.
am neque tunc inter feruent pia dona ſodales;
Nec dat iis facilem mutua cæna locum:
loquium ceſſat,ceſſat conſpectus amici,
Ipſa etiam ſpecies tempore lapſa fugit.
go tibi charum ſi fors acquiris amicum,
Fac,vt amicitiam ſedulus vſus alat.
d iucunda parum eſt gratæ ſolatia vitæ
Iungere amicitias;ſed retinere iuuat.

EMBLE-

EMBLEMA LXXXIX.

Seruus fidelis.



LXXXIX.

Conſeruat Dominum fidi vigilantia ſerui.

Fidus in excubiis vigili ſtat lumine Lælaps,
  Dum ſuus in viridi gramine dormit herus,
Attentuſque illi tutum vigilando ſoporem,
  Occultis cuſtos præſtat ab inſidiis.
Non illum ſtandi faſtidia longa fatigant,
  In ſomnum mittit nec requietis amor;
Ille quieſcentis Domini neque ſomnia frangit,
  Sed neque ſopiti ringitur ille morâ.
Sed manet immotus, dominoque (ſilentia ſeruans)
  Ille ſuo ſomnos, ore tacente, fauet.

Quo

uod ſi forſan opus fuerit, latratibus hoſtes
Indicat, & Dominum voce ſonante monet:
uin etiam ſæuo commiſcet prælia dente,
Et ſua pro charo corpora ponit hero.
Hæc ſunt quæ deceant fidos præconia ſeruos;
Talis & eſt Domini dignus amore ſui.
Hæc famuli faciant queis laus, & gloria votum:
Ad ſumma eſt ſeruo ſemita, duxque fides.

EMBLEMA XC.

Conuerſatio cùm fœminis periculoſa.



XC.


Ni cautus fugias, vix hinc illæſus abibis.

Sirenum ſcopulos, cantatriceſque puellas,
Nautarum in ſiculo blanda pericla mari,
Solerti quondam curâ vitauit vlyſſes;
Aſt illo legitur nemo fuiſſe prior.

Tantæ molis erat fallacem ſpernere gentem,
Et nunquam formâ, blanditiiſque capi.
Vah! quot Sicanij numerarunt funera cautes!
Quot fleuit merſas Trinacris ora rates,
Cum gemuit ſuaui decepta cadauera cantu,
Oſſibus ambeſis, tot fluitare mari.
Blanda viris Siren, ſed plena eſt fœmina fraudis;
Eheu! fœmineis quot periêre dolis!
Illiciis captare homines; & mergere claſſes,
Captorumque auidam paſcere carne gulam.
Sirenum mores, & conſuetudo ferebant,
Cùm premeret victor corpora capta ſopor.
Mos idem fermè eſt petulantibus iſte puellis,
Et forma capiunt, illiciiſque viros;
At qui captiuo iam portat vincula collo,
Vix niſi lethali vulnere læſus abit.
Quin opibus ſæpè amiſſis, & carne voratâ,
Damnorum in lato mergitur oceano.
Has fuge Sirenas; nihil hic prudentius illo eſt,
Talia quàm celeri vincere monſtra fugâ.

EMBLEMA CXI.

Exercitium.



CXI.

Ire docetur eundo.

t formare gradum,& teneras bene figere plantas
Diſcat,& inſuetas currere ritè vias;
ollicita infantem nutrix hâc edocet arte
Firmare,& proprio marte,mouere pedes.
onueniens fulcrum fabricatur cauta curula,
Mobile bis binis,quà lubet ire,rotis:
oc infernè patet;circoque supernè rotundo
Sub pueri ſtantis pectore le[illegible] coit;
tque vetet caſum,puptim complexibus ambit,
Cogit & appreſſo tangere calce ſolum;
urriculo huic ſubtùs molles includitur alas,
Ne fortè infirmus ſidat ad ima,puer:

Tum procul aſſiſtens ad ſeſe inuitat alumnum
Nutibus,& blandâ voce venire rogat.
Is mammæ cupidus, notoque illectus amore,
Incipit admoto trudere fulcra pede,
Quæ leni attactu cum ſint aptata moueri,
Et puerum ſecum currere mota docent.
Scilicet ars ſtudio, gnauoque acquiritur vſu;
Imo ſine aſſiduo nulla labore viget.
Quare, quam quis amat, ſtudioſè exerceat artem;
Ars exercitio quæ caret, illa perit.

EMBLEMA XCII.

Odit victoria ſomnos.



XCII.

Perdunt vina, Venus, ſegniſq; ſocordia Martem.

igra per extentos dum ſtertunt agmina campos,
Atque tenent ſegnem vina, Venuſque Ducem,
ndignata fugit motis victoria pennis,
Dum ſua ſegnitie numina ſpreta putat:
eque hinc aduerſis iungens irata maniplis,
Mittit in ignauos arma inimica globos.
Moxque furit totis mortis vesania caſtris,
Et madet occiſis terra cadaueribus.
ic euerſa iacent Thracis tentoria Rheſi,
Sic facta eſt, flammis Troja ſepulta, cinis.

Sic Syra Abramæis albent occiſa ſagittis
Oſſa, Damaſcenis obruta pulueribus.
Sic Amalecitarum inter, conuiuia, turmas,
Dum celebrant, poſito, feſta, dapeſque metu,
Rex inopinatis Ieſſæus contudit armis,
Exemit paucos vix fuga fæda neci.
Nunquam blanda fauet pigris victoria caſtris,
Somnus, vina, Venus queis rapuere diem:
Illa vigil vigili, & ſolerti nubere Marti,
Cui mens ſit multæ ſedulitatis, amat,
Cura, labor, ſenſus, regat & vigilantia bellum,
Et ſegnes, ſi vis vincere, tolle moras.

EMBLEMA XCIII.

Senſus proprius.



XCIII.


Cuiq; ſuum pulchrum.

non tam varios ſpectans ex æthere veſtes,
Sartorum laudas Iupiter ingenia?
am nec Mercurium, quamuis vagus erret in orbe,
Sedulus & cunctos viſitet artifices.
ec, licet omnigenas tua filia nouerit artes,
Quæ fuit è cerebro nata Minerua tuo,
ot formas operum, totque inueniſſe figuras,
Sartorum, reputo, quos facit vna, tribus.
irarer cauſas, fors mirareris & ipſe;
Cuilibet at ſenſum nouimus eſſe ſuum.
ique ſuum pulchrum eſt: animal quàm ſimia fœdũ
Pulchrius at catulis nil putat illa ſuis.

Gentibus vt ratio eſt longè diuerſa loquendi,
Vt caput, & cerebrum non habet omnis idem:
Sic quoque veſtitus (quamquam turpiſſimus ille eſt)
Quilibet extollit, quem probat ipſe, modum.
Optimus aſt ille eſt, in quo ſeruatur honeſtas;
Ah pereat, multum qui leuitatis habet.

EMBLEMA XCIV.

Iuſtum tributum ſoluendum.



XCIIII.

Euacuat iuſto medicus moderamine venam.

Vt caput à nimio poſſis releuare dolore,
Et ſeruent vires cætera membra ſuas,
Brachia abundantem mittunt inciſa cruorem,
Pro capite & plagam ſaucia vena ſubit.
Quod quoties opus eſt, ſi fortè ingrata negaret,
Et ſeſe, atque caput perderet ipſa ſuum.

Se

d tamen hanc medicus mittendo in ſanguine curā,
Ne nimium corpus debilitetur, habet.
ic etenim ſeruare ſtudet fundendo cruorem:
Qui vitâ, atque opibus vult ſpoliare, latro eſt.
: portare queant regnorum pondera reges,
Et poſſit patriæ ſalua manere ſalus.
s eſt ſubiectos Dominis perſoluere cenſum,
Reddere & ex iuſtâ lege tributa ſuis.
d veluti iuſto vacuat moderamine venam
Qui leuat infirmi corporis arte malum.
c etiam à populo capiat ſibi debita Princeps,
Sed terræ medicum ſe putet eſſe ſuæ.

EMBLEMA XCV.

Moderata durant.



XCV.

Plus nimiò compreſſa labant; moderata feruntur.

Ille ſolens iuſto ſubmittere terga labori;
  Ille libens equum ferre camelus onus;
Cui toties curuum contriuit ſarcina dorſum,
  A ſtolido nimiâ mole grauatus hero
Concidit; & fractis duro ſub pondere lumbis,
  En, mortem in turpi puluere ſtratus obit.
Iſtaque pro obſequiis, fidè famulatus, auaro
  (Heu miſer) à Domino præmia ſeruus habet.
Nempe immenſa ruunt, placidè moderata feruntur,
  Omnia, quæ nimium ſunt onerata, cadunt.
Aſpice, vt ingentes faciant tabulata ruinas,
  Vtque maris celſas deprimat vnda rates.

Vt

muri, vt turres, vt propugnacula foſſas
Lapſa tegant, nimia mole ſoluta, ſuas.
te iacent oculos fracti ſub pondere currus,
Curuaque, ſi nondum ſit rota fracta, gemit.
nique ab euentu ſemper ploratur iniquo,
Viribus excedens, quod toleratur, onus.

EMBLEMA XCVI.

Hypocriſis.



XCVI.

Non eſt, quod cuiq; videtur.

ōn ſolùm faciem fucus, ſed vita colorat,
Fœdaque virtutis crimina larua tegit;
ibtam commune eſt, quam formam inducere factis,
Fingere & obducti pectoris effigiem.
iproba quot vultus format ſibi turba Gnathonum?
Quot linguas! formas quot Paraſitus habet!

Quot (nunc à vulgo quæ complementa vocantur)
Officij ſupplent byſſina verba vices!
Oſor amicitiæ laruam ſibi ſumit amici;
Et ſe, quod non eſt, peierat eſſe tuum.
O quoties manibus cernes tibi tangere terram,
Et ſtrepero tritum radere calce ſolum,
Multaque mendaci præconia iungere linguâ,
Qui tibi fallaci mente inimicus erit!
Quid? quod nec pudor eſt, laruas oſtendere cœlo,
Ridere & fictâ ſub pietate Deum!
Non ſtat laruatus tantùm Phariſæus ad aram;
Plurimus, ac paſſim, eſt nunc ſimulando probus.
Quiſquis is es caueas; laruam tibi detrahet olim
Æternus, veniet qui tibi pœna, pudor.

EMBLEMA XCVII.

Voluptas moderanda.



XCVII.

Nocet infrenata voluptas.

Vah! quàm cæca placet, nimium violenta voluptas,
  Vel morte in media delicioſa iuuat.
Quæ facit infeſtum crudelis bellua Nilum,
  En homini inſidias peruigil vſque ſtruit;
Nullaque ſunt certæ propiora pericula mortis,
  Quam cum depoſitâ veſte natantur aquæ:
Beſtia tunc nudos ſpernit ſecura lacertos,
  Tuncque exarmatas deſpicit illa manus.
Et natitare tamen, tam certâ morte, voluptas
  Cogit, & eſt placitu dulce perire malo,
O cæca, atque grauis capitis dementia ſtulti,
  Cui minus eſt vndis quam caruiſſe, mori.

EMBLEMA XCVIII.

Pauper ſumptuoſus.



XCVIII.

Eſt ſtultum nullis volitare per aëra pennis.

Implumes donec nidorum mœnia pullos,
  Inter ramorum frondea tecta tegunt,
Securam teneris defendit ſilua ſalutem,
  Sæuaque prolapſos dat fera nulla neci:
At nondum natis ſi tentent æthera plumis,
  Aut nidos vltra ſtulta cupido rapit,
Deuoluuntur humi; pennisque ſub arbore raptis,
  Aut feli, aut angui præda parata iacent.
Cui res arcta domi eſt, & vix aliena ſupellex,
  Cui nunquam ſatiat ſordida menſa famem,

Ille

e modum ſupra corpus ſi veſtibus ornet,
Seque gerat ſumptu ditibus vſque parem,
unquid is abſque vllis conſcendere ſidera pennis
Appetit, implumes atque imitatur aues?
t quos iſta dabit demum dementia fructus?
Quos auis implumis nempè volando capit.

EMBLEMA XCIX.

Vitanda præſumptio.



XCIX.

Maius nil viribus aude.

Ille Crotoniades, famâ notiſſimus olim,
Per ſtadium potuit qui Milo ferre bouem,
Robore præfidens, maioraque viribus auſus,
Eſt auidis factus præda dolenda lupis.

Fiſſu-

Fiſſuram grandis, validâ deiecta ſecuri,
Forſitan in patulo quercus habebat agro.
Hanc manibus ſtolidè cupidus diffindere nudis,
Pro cuneo in rimam miſit vtramque Milo,
Neſcia ſed rumpi, manibuſque potentior arbos,
Dum partes coëunt, brachia capta tenet;
Is fruſtra obluctans, dum ſeſe ex ſoluere tentat,
Sub Ioue deſertus, fit miſer eſca lupis.
Noſcere quemque ſuas, res eſt pulcherrima, vires;
Succeſſuque, vltra qui facit, ille caret.

EMBLE-

EMBLEMA C.

Corrumpit lumina fumus.



C

Non bene conueniunt hæreſis, atque Fides.

Quid tentas oculis fœdum connectere fumum?
  An ſolem, & tenebras poſſe coïre putas?
Tam genius longè eſt, & mos diuerſus vtriſque,
  Quam cane cum ſæuo felibus eſſe ſolet.
Inquinat impurus lucentia ſidera fumus,
  Aſt oculi puræ lumina lucis amant;
Stant in fronte oculi nitidæ velut æthere flammæ;
  Fumus at obſcuro eſt turpis ab igne vapor:
Et vigor eſt oculis, & vis pretioſa videndi,
  Fumus at immundæ pallia noctis habet.
In cœlis oculus fulgentia proſpicit aſtra,
  Fumus in aëria ſed regione perit:


Com-

Commodus eſt oculus; membro neque noxius vlli;
Corpus & in quâuis dirigit ille viâ.
Sed niger vndanti fœdat fuligine quiduis
Fumus; & eſt nullus vtilis officiis,
Imo oculis fumo nihil eſt infeſtius ipſo;
Hos mergit ſalſis ſemper amarus aquis:
Quin ſtudet & ſanum lacrymis corrumpere viſum,
Et totum ereptâ lædere luce caput.
Quam grauis eſt oculo fumus, tam Dite remiſſa
Hæreſis à vera diſſidet atra fide.
Non tam perſequitur lupus inſatiatus ouilè,
Nec fugit à nigra lucida nocte dies;
Non oculos tantùm fumi contriſtat amaror,
Tantopere haud ignem perdere quærit aqua;
Quam cupida eſt fumo fidei corrumpere lucem
Hæreſis, atque oculos perdere Chriſticolûm:
Namque ciet lacrymas, mordet, fœtetque, nocetque;
Sed fidei lacrymis, quas mouet ipſa, perit.

EMBLE-

EMBLEMA CI.

Virgini ſit cura famæ.



CI.

Candorem comitatur odor.

Lilia ſiue foris,ſeu ſtent candentia in aris,
Pergrati ſemper nectar odoris habent:
Hinc oculi capiunt,ſimul & bona pabula nares,
Hinc ſolet in templis gratior eſſe mora;
Imo ſuo impendi reputat quoque numen honori,
Qui manat Floris de niue ſparſus odor,
Delectent,ſolo quę ſunt formoſa colore;
Candida ſed iuncto lilia odore placent.
Non ſatis huic candor flori eſt; ſed quærit vtrumq́ue;
Candêre,& pariter ſemper olére benè.
Lilia formoſas deſignant caſta puellas:
Namque notam puræ Virginitatis habent.

Candor

Candor ineſt illis;candet mens caſta puellis:
Illa lutum; Venerem virgo pudica fugit.
Lilia laudat odor;caſtam bona fama puellam;
Laude carens virgo vilior eſſe ſolet.
Lilia ſtant ſacris,ornantque altaria,templis,
Et grato redolet totus odore locus:
Virgo dicata Deo, ceu flos formoſus in arâ
Expoſitus,grato paſcit odore polum.
Quo ſunt grata magis, ſi ſeruent lilia formam,
Hoc ſunt fœda magis,ſi putrefacta iacent.
Eueniunt eadem corruptis damna puellis;
Et mage,virgo loco quo meliore fuit.
Ergo verecundi ſeruans ſit caſta pudoris,
Atque tenax famæ virgo pudica ſuæ;
Quod ſi non faciat,iam perdunt lilia laudem,
Et putent fœda ſordidioro fimo.

EMBLE

EMBLEMA CII.

Fucandi vanitas.



CII.

Melius natiua placebo.

Quid pulchra, (ah!) ſtolidæ corrumpitis ora puellæ?
Quid veſtra in facie nomina fucus habet?
An natura minus bellè, quam pingit Apelles?
Et melior vero eſt, falſus in ore color?
Nempe Deus nequiit veſtros bene pingere vultus;
Plus formandi homines pictor in arte valet.
Quanta (ah) ſtultitia eſt, Chio medicamine formam
Quærere; vel Samio velle nitere luto.
En vt odoriferos melius natiua per hortos
Reſplendet proprio grata colore roſa:

Quis

Quis pictam ſapiens auſit præponere natæ,
  Quam ſpecies melior laudat, & almus odor?
Non eſt fas caſtam ſic delirare puellam,
  Natiuam faciem ſpernat vt ipſa ſuam.
Vna puellarum forma eſt pulcherrima virtus,
  Virtutiſque comes rara pudicitia.
Quæ vis virgo tuâ ſpecie formoſa placere,
  Virtutum venias picta colore, ſat eſt.

EMBLEMA CIII.

Iſtas caue virgo ſagittas.



CIII.

Si penetrent animum vix medicina iuuat.

e,quid adducto torques tua ſpicula neruo,
'irginea & ſatagis lædere corda,puer?
i!conſute dolis;ſæuis,vah!noxie telis,
'ulnera qui ſemper virginitatis amas.
u!quam mellito mulcet tua plaga veneno,
Ieu!quam præſentem fert tamen illa necem.
nere non cauti primum feriuntur ocelli,
Mox ipſum penetrant lenta venena iecur:
nors ipſa placet,ſceleratus amatur & arcus,
ntegritas cuius crimine victa iacet,
Ixionio verſari digne rotatu,
Digne cui Titij pectora tundat auis,

Cur

Cur non Tantaleis nequam cruciaris in vndis,
Aut tua Siſyphius conterit oſſa lapis?
Vt ceſſes caſtas tandem torquere puellas,
Inque tuum recidant tela ſceleſta caput?
At vobis caſtæ, lectiſſima turba, puellæ,
Queis eſt aſſiduò maxima cura pudor.
Ne graue ſit promptis conſiſtere ſemper in armis,
Totaque ſub clypeo corpora pura tegi.
Vnde repercuſſæ redeant impunè ſagittæ;
Virgineâ & fugiat perditus arte puer.
Veſtrum ſi qua, nimis fidens, neglexerit arma,
Admittet medicam vix data plaga manum.

EM

EMBLEMA CIV.

Non eſt inuicta libido.



CIIII.

Facilè his ſed vincitur armis.

mper Acidalius Puer eſt accinctus in armis,
Obſidet atque animi ſubdolus vſque fores;
: quamuis illi, maternis vecta columbis,
Sæpè venit Gnidiis ſordida palma rotis,
ınquam eſt arreptis tamen inſuperabilis armis,
Si quis pugnanti frangere tela volet.
ı confracta iacent lacerato ſpicula neruo,
Fumat & extinctâ mortua flamma face.
uin etiam ex humeris, ruptâ cecidere pharetrâ
Tela, quibus noſtro in pectore fortis erat:

G Nec

Nec potis eſt fractas iterum renouare ſagittas,
Nec reſtauratis vrere corda focis.
Ergo nihil metuas, bellum licet vſque minetur;
Improbus inuictas non habet iſte manus:
Eſt vinci facilis, cupiat modo vincere virgo,
Nec illum pharetræ, flamma, faceſque iuuant.
Quæ timet, en hæc ſunt; facile his quoque vincitur armis;
Saccus, flagra, fames, cautio, ſacra, preces.

EMBLE-

EMBLEMA CV.

Seruent quoque dona decorum.



CV.

Nil niſi iuſta petes, nil niſi iuſta dabis.

Et potuit Meretrix tanti ſaltando Prophetæ,
Diuinum à diro Rege merere caput.
Vah! quanta eſt leuitas, fœda atque iniuſta petendi.
Vah! quanta impietas munera iniqua dare.
Attriti certè eſt frons valde obſcœna pudoris,
Turpia quæ poſito dona rubore petit.
At qui concedit facile illaudata roganti,
Is micam mentis vix ſapientis habet.
Singula vt Herodis notiſſima crimina mittam,
Sitque Herodiadis res bona adulterium,

At ſaltatriculæ, non ius, non æqua petenti,
Quæ Rex promiſit munera, quæque dedit,
Hæc pupugere Deum; & grauibus ceu digna querelis
Crimina, præ reliquis pagina ſacra refert.
Poſcere nec pœnas ſceleris ceſſauit Erinnys;
Morte ſed horribili danſque, petenſque iacet.
Exemplo caueant, quiſquis mala munera poſcit,
Et qui non refugit munera iniqua dare.
Nam facit iniuſtum, qui dat non iuſta roganti;
Creditur iniuſtus, quem quis iniqua rogat.

EMBLE-

EMBLEMA CVI.

Sit deſiderij certa cupido tui.



CVI.

Neutrum capio, dum ſector vtrumq́;.


Quid res ſollicitus ſpargis tua vota per omnes,
Et laceras variis corda cupidinibus?
Multa ſimul captas, menſque eſt tibi pendula ſemper;
Semita quæque tibi dextra, ſiniſtra placet:
Cælebs vita iuuat; iuuat & te vita ligata;
Ducere vis; non vis; quæris vtrumque ſimul:
Cum tibi tæda placet, varios tuus ardor amores,
Sed nil, quod certâ lege ſequaris, habet;
Venari viduas, venari dulce puellas
Credis, & incertum pluribus eſſe procum.

Cum iuuat aſt contra, ſociam contemnere lecti,
Te quoque habet cupidum quilibet ordo ſui,
Siue Canon illi, tribuat ſeu Regula nomen,
Vel Bernarde tuum, vel Benedicte tuum;
Siue Dei Sancto celebret præconia cantu;
Siue ſacro Chriſti paſcat ouile cibo.
Nec ſatis: aſt inter quæ munera dantur in aulis,
Multa ſimul captat ſtulta cupido tua;
Gloria diuitiæ, titulorum ſplendor, & aura:
Et charum quicquid Regibus eſſe facit,
Materies ſunt grata tui ſimul omnia voti,
Et, quid nil proſint tot tua vota, doles.
Deſine; namque tibi nimis eſt diſperſa cupido;
Et deſiderij contrahe vela tui.
Cerne, feras curſu ſimul vt ſectetur anhelo,
Quamplures vnus, lata per arua, canis;
Omnes ille petit, nunc hanc nunc appetit iſtam,
Et premit à quâuis ſigna relicta pedum,
Sed quia per laxos ſparſim diſcurritur agros,
Et rapitur variâ beſtia quæque fugâ;
Nil labor iſte iuuat, curſu ſed laſſus inani,
Et vacuus, prædâ diffugiente, redit.
Si quæ digna tuo credis tibi commoda voto,
Diuiſâ huc prudens currere mente caue.
Impetus at totus metam tibi tendat ad vnam:
In votis nunquam ſint tibi multa ſimul.
Cum canis inſequitur lepores (prouerbia dicunt)
Ille capit neutrum, qui premit ore duos.

EMBLE-

EMBLEMA CVII.

Conſuetudine Magiſtrâ.



CVII.

Paulatim inſuetis docuit conſueſcere tempus.

Quod nunquam docuit ſtirpem natura caninam,
  Vt canis aſſatrix verteret vlla veru,
Paulatim longum fecit condiſcere tempus,
  Et conſuetudo trita leuauit onus.
Plurima ſunt miſeram grauiter torquentia vitam,
  Quæ non conſueto pondere colla premant,
Hæc noua cum veniunt, onerantque recentia tergum,
  Tædia non ſoliti multa laboris habent.
Triſtia mox flentur crudelis ſtamina fati,
  Tanti & Natalis fit rea ſtella mali;

Tranſilit & celſos ſterilis querimonia cœlos,
Deniq́ue, vt à viridi vulnere plaga, dolet.
Sed longa, vt docuit tandem conſueſcere duris,
Tritaq́ue iam callum ducere terga, dies,
Ceu mare, cum poſitis cœpit miteſcere ventis;
Stat lentum, & tacitis vnda quieta vadis;
Sic quoque miteſcunt animi; miſſiſq́ue querelis,
Iam fertur leuiter, quod graue pondus erat.
Si tibi quid grauiter doleat; conſueſce dolere;
Hoc medicina tui magna doloris erit.

EMBLEMA CVIII.

Conſilium malum conſultori peſſimum.



CVIII.

Non eſt lex iuſtior vlla,
Quam ſcelerum artifices arte perire ſuâ.


En malus accenſo clauſus conſultor in ære,
Quæ tormenta aliis ſtruxerat, ipſus habet.
Delicias ſiculo dare dum ſtudet ille Tyranno,
Æreum in humanâ fecerat arte bouem,
Et cape, Rex, dixit, potes hoc torquere iuuenco,
Per tormenta voles quos dare cunque neci,
Mugitumque dabit tortus per guttura tauri,
Dum miſerum lento flamma calore coquit.
Optimè, ait Phalaris; princeps aſt ipſe probabis
Quod laudas tantæ conditor artis, opus:

Incluſumq́ue boui, lateris quâ parte feneſtra,
Laxa patens, præſtat viſcera ad ima viam,
Clamantem fruſtra ſubiecto torruit igne;
Conſilio interiit ſuaſor & ipſe ſuo.
Nec ſua deſeruit punitio iuſta Tyrannum;
Hoc etenim toſtus deniq́ue & ipſe boue eſt.
Geſtorum ſeruat Taurus monumenta; Perillo
Ex auctore ſuo nomen & ipſus habet.
Nimirum lex eſt æqui vix iuſtior vlla,
Quam ſcelerum artifices arte perire ſuâ.
Nec Nemeſis verſo dimittit crimina tergo
Quod ſi tarda venit, ſæuiùs illa ferit.

EMBLE-

EMBLEMA CIX.

Noſce teipſum.



CIX.


Te monſtrant inſpecta tibi.

Inſpecta obiectam reddunt ſpecularia formam;
 Inſpice; quæ tua ſit forma videre potes,
Fors te non noſti, nec ſcis quà parte labores,
 Aut tua quam fœdis ſint labra picta notis;
Indicium, qui ſis, tibi reddita dicet imago,
 Nec maculam mendax diſſimulando teget.
En quanto ad ſpeculum ſtudio ſe fœmina comat,
 Ne turpet leuem ruga vel vlla cutem.
Exemplo docet illa ſuo, quæ cura cuique
 Moribus ornandis debeat eſſe ſuis.
Hand etenim mentis minus eſt curanda venuſtas,
 Quam niteat roſeis forma decora genis.

Nec deſit menti quo ſe cognoſcere poſſit;
Namque habet & ſpeculum, quod roget, ipſa ſuum.
Conſule cor proprium, & quorum tibi conſcius ipſe es
Et ſpeculum, tibi tu, quo videaris, habes?
Nam mox aſpicies, qui ſis; an candidus intus?
An niger? aut quam animæ ſit bona forma tuæ.
Tunc ſi incorruptus de te decernere iudex,
Et tibi ius æquâ reddere lance voles,
Haud labor vllus erit proprium cognoſcere vultum,
Et quibus à maculis emaculandus erit.
Imo potes mentis faciem tibi pingere, qualem
Angelica in cœlo turba beata gerit:
Te modo noſſe ſtude; nam quamuis omnia noſſes,
Nil noſti, vitæ ſi rudis ipſe tuæ es.

EMBLEMA CX.

Perſeuerandum.



CX.

Perrumpit, qui fortiter inſtat.


Ecce rotam cupiens aptare rotarius axi,
  Nititur axigerum perterebrare tubum,
Nec piger inualidis peragit ſua cœpta lacertis,
  Sed, dum perrumpat fortiter vrget opus:
Brachia nec lentâ metuit laſſare terebrâ,
  Aſſiduo quamuis torqueat orbe manus;
Sedulus at perſtat ſolidum pertundere truncum;
  Conſtanterque grauem vincere duriciem:
Cedit & inſtanti tandem, obſequiturque labori
  Truncus, & in medio grande foramen habet.
Scilicet aſſequitur ſtabilis conſtantia finem,
  Vixque imperfectum feſſa relinquit opus,

 Sed

Sed vincit, quicquid vinci non poſſe putabas;
Nimirum abſoluit, qui patienter agit.

EMBLEMA CXI.

Lucrum incertum, damnum plerumq; certum.



CXI.

Caſus in euentu eſt.

Qui vult damnoſo nunquam contendere ludo,
Sed victor certo ſemper abire lucro,
Is caueat dubios vnquam contingere talòs,
Nam caſum fallax alea ſemper habet.
Non etenim certam leges capit illa per artem,
Queis iactu quouis prodeat vſque Venus:
Sæpè ſed excuſſum dum mouit dextera pyrgum,
Infauſtos videas ſubſiluiſſe canes.


Semper

ſemper in hoc ludo dubiis victoria pennis
Se leuat, & luſor nil niſi vota facit:
Caſus in euentu eſt; quam pronum fallere caſum?
Inſtabilis caſu eſt certior vnda maris,
Hinc prius excutias benè, quid conducat agenti,
Alea fortunam quam tibi iacta petat.
Diteſcunt raro, quibus eſt ſpes ſumma fritillus;
Et ſpes à caſu pendula, digna metu eſt.

EMBLE-

EMBLEMA CXII.

Cuſtos Iuuentuti addendus.



CXII.

Non frango, ſed firmo.


Ne moueat ventus, tenerum neque flamine truncum
Eruat; inque ſolum brachia curuet onus,
Flexilis, agricolæ curâ firmatur in horto,
Arboris, appoſito ſtipite, molle latus:
Ni faciat; raro conſurget recta per auras,
Sed ſemper curuo corpore ſtipes erit,
Aut etenim fœdum protrudet cortice gibbum,
Aut depreſſa comas curua iacebit humi,
Grandia vel fractis oſtendet vulnera ramis;
Aut aliquo ſemper crimine turpis erit:
Fors quoque nec creſcet, ſed de radice reuulſa,
Præbebit calido pabula grata foco.

Conſi-

onſimilis teneræ cura eſt adhibenda Iuuentæ,
Nomen ut egregiis inſerat illa viris.
bilius puero nihil eſt, nil mollius uſquam,
Tam facilè vitium planta nec vlla trahit:
ui ſi permiſſus ſibimet, cuſtode remoto,
Ætatem lubitu tranſigat ipſe ſuo,
uid ſperes tandem, morum niſi damna bonorum?
Quæque fleat longo tempore ſerò ſenex?
umquid tanta decet puerorum cura magiſtros,
Quantam ſollicitis planta dat agricolis?
æditur haud tantum glaciali ſurculus imbre,
Plantaque nec rigido tam iacet icta noto,
Quam quoties teneræ dempta eſt cuſtodia turbæ,
Et malè cauta ſuo rege iuuenta caret.
Tunc ruit in vitium; tunc ſumunt crimina vires;
Tunc perdit pietas, pectore pulſa, locum;
Tunc creſcunt culpæ; facit & tunc denique turpi
Ex puero, turpem vita pudenda ſenem.

EMBLEMA CXIII.

Exercitatio cos Ingenij.



CXIII.

Acuor, dum conteror.

Agricola & falces, duraſque in cote ſecures,
  Armaque fœcundi ruſtica limat agri;
Attrituque aciem detritam reddit acutam,
  Quique decet ferro ſplendor ineſſe, redit.
Quid iuuat, vt chalybem calidâ fornace recoctum,
  In varias formas duxerit arte faber,
Ni cote humanos aptè exacuatur in vſus,
  Et capiant vires quælibet æra ſuas?
Quidue ſcaber prodeſt terrâ rubigine culter?
  Quidue exarmatus dente ſtupente ligo?
Inſeritur nunquam vomer non tritus aratro,
  Nec curua ad meſſem falx rudis vlla venit:


Qui

is non limatis ruit in fera prælia telis,
Aut hoſtem obtuſo percutit enſe pugil?
nique, quid multis? quibus eſt vis cunque ſecandi,
Hæc cote, aut vtens, vel faber, ante polit.
geniis ratio vix eſt diuerſa colendis;
Nam donum, haud ſatis eſt mentis habere bonæ,
t opus eſt animi quoque vim limare per vſum,
Vis etenim ingenij trita labore nitet;
uo malè neglecto, veluti rubigine ferrum,
Sic vigor exeditur mentis inerte ſitu.

EMBLE-

EMBLEMA CXIV.

Humilis contemptus in orbe eſt.



CXIIII.

Elata aſpicimus; pedibus depreſſa terimus.

Alta ſtat è ſaxo ſublimibus æmula cœlis,
  Aſpectuſque hominum, Turris, & ora tenet;
Statque ex oppoſito lento de vimine ſepes
  Paruula, communi ſemita trita pede.
Supra hominum greſſus turris caput exerit omnes,
  Et dedignatur ſternere prona viam;
Iactat at excelſas, apicis confinia, nubes,
  Tectaque ſidereis peruia ſola notis.
Deſpiciunt, ait, en humiles mea culmina terras,
  Illaque nubiuagæ deuenerantur aues,
Quin digitis homines, veluti miracula cernant,
  In me monſtrantes, lumina fixa tenent.

Non

on ego ſum ſepes pedibus quæ ſubdar euntis,
Cogar & aſperſo ſordida ſtare luto;
am quiſque terat;puerorum & calce minuto
Inſcenſa,exiguo pondere preſſa,gemat;
mea non humiles ſcandant faſtigia plantæ,
Nec pateant vllæ per mea colla viæ.
m maior,quiuis quam me tranſcendat eundo;
Ad me per multos fit via ſola gradus.
cubat in noſtro laudata ciconia tecto,
Fulmineique Iouis fit mea ciuis auis.
rtice ſæpe meo mihi muſica cantat alauda;
Contemnit muros nec philomela meos.
obilis in tritis quis ſedit ſepibus ales,
Quin celer,& nullâ ſe rapit inde morâ?
uis ſepem è longâ ſpectat regione viator?
Quis ſtupet è mediâ vimina trita viâ?
æc mea laus eſto:prope ſum mirabilis omni,
Si procul abſueris,conſpicor ipſa procul.
uin & magnificis ego ſum ſtructura Tyrannis,
Qui dedit eſſe mihi,nobilis ille fuit.
t humilis ſeps eſt inopi conſtructa colono,
Et ſtat vt impuras arceat ipſa ſues.
unde igitur ſapiens,cauſas caue iungere noſtras,
Sic nos, vt tellus diſſidet ima polo.
e cole:quam tollunt ad celſas culmina nubes:
Aſt iſtam ſemper pes lutulente teras,
il ego poſco noui:vulgata hæc regula nunc eſt:
Maxima ſuſpicimus:ſub pede parua iacent.

EMBLE-

EMBLEMA CXXV.

Vultus animi index.



Produntur pectora vultu.

Nemo latere putet, tacitâ quæ mente geruntur,
  Eſt qui non dubiis efferat iſta notis,
Vt taceant linguæ: vultus facieſque loquentur,
  Luminaque arcani nuntia cordis erunt.
Si quid turpe paras, ſcelus aut in pectore verſas,
  Hæc frons, hæc oculi cuique legenda dabunt.
Si tibi non æquæ torquent tua viſcera ſortes,
  Mox vocem in facie, quod dolet intus, habet.
Quod ſi feſta tuam laxent quoque gaudia mentem,
  Filaque ab auratâ ſint tua ducta colo:
Mox etiam in vultu clarus monſtrabitur index:
  Qui dicat: læta eſt, menſque dolore vacat;

Den

enique qui cquid ages, tacito quod corde latebit,
Secreti vultus proditor ipſus erit.
ſpice quanta ſedent turbato nubila vultu,
Quando animi victrix poſſidet ira domum!
ſpice ſed contra, quam fulgeat ore ſereno,
Cum ceſſere omni pectore triſtitiæ.
unquid cum eſt fœdæ ſibi mens mala conſcia noxæ,
Garrulus exangui pallor in ore ſedet?
uid? cum picta rubet frons, nunquid dicimus omnes:
Lingua verecundi eſt pectoris iſte color?
onne rogant ſolo quoque mendicabula vultu?
Et frons clamoſæ pondera vocis habet?
cilicet eſt index in partem ſemper vtramque,
Atque animi ſpeculum frons & imago ſui.

EMBLE-

EMBLEMA CXVI.

Non nimium fidendum.



CXVI.

Vt noceat, ſat quiſque potens.


Neſcio quam facilis vis eſt, & prompta nocendi:
  Tam nullum nihil eſt, quin queat eſſe nocens:
Quam paruum eſt animal, quam ſcorpio noxius ictu!
  At ſine conſpectu vulneris iſte necat.
Quis auſit ſæuos tutò irritare crabrones?
  At nullum in toto corpore pondus habent:
Beſtia ſed tamen eſt vix vlla moleſtior vllis:
  Atque homini, & magnis peſtis amara feris.
Os adigunt ſtimulis grandes ad funera tauros,
  Illorum roſtris concidit altus equus:

Non

Non leo, non tygris crabronis ſuſtinet iram;
Cauſa vel his iuſtæ ſibilus ipſe fugæ eſt.
Corpore quid culicum minus eſt? quam tenuia mēbra,
Quamque breui nullum pectore robur ineſt!
Quando tamen Niſibis cecidêre ad mœnia Perſæ,
Cladis cauſa culex, quâ periêre, fuit.
Nempe tuæ nimium virtuti fidere noli,
Vel parui culices, integra caſtra fugant:
Et veteris ſapiens eſt vera paræmia vatis,
A cane non magno ſæpe tenetur aper.

EMBLEMA CXVII.

Animi tranquillitas in rerum fluxarum contemptu ſita.



CXVII

Mens ſimilis tranquilla Deo.


Iam me ſumma tenet pars feliciſſima mundi,
Semper vbi requies, & ſine nube dies;
O! ego ſi pridem potuiſſem ſcandere cœlos,
Atque hunc æterna ſede tenere locum!
Non ego ceſſaſſem mediam contemnere partem,
Quæ ſuperos inter, Tartareoſque iacet.
Pars, vbi nulla quies, ſed turbatiſſima regna,
Pars tempeſtatum plena, & amica domus,
Tunc mihi ſemper erat, quod quiſq; horreſcere poſſ
Grando, imber, glacies, horrida tela Iouis.

Tu

Tum me turbabat dubiæ inconſtantia ſortis,
Inque dabant gelidos (heu!) mala quanta metus!
Pauperies turpis, reboantia tympana martis,
Hæſura in medio pectore tela meo;
Periurique fidem fallentis crimen amici,
Et clare, quæ nouit, perfida verba Gnatho.
Cœtera dimitto, ſerie quæ dicere longâ,
Et poſſet vario penna referre ſtylo.
Nunc ea contemno, ſummum ſuper aëra mente
Euaſi; video ſub pedibuſque ſolum.
Quæ mala ſunt, infra iam me ſunt omnia; nobis
Cum ſuperis tuta eſt iam ſuper aſtra quies.
Tu quoque ſi cupias animum ſubducere turbis,
Tranquillo vt ſimilis ſit tibi vita Deo,
Quære à non certis mentem ſeiungere rebus,
Et ſit fortuitum ſub pede quodque tuo.
Non eſt in medio naui conſtantia ponto,
Aut vento quatitur, ſiue mouetur aquâ.
Nil eſt in toto niſi ſpes vaniſſima mundo;
Et timidum findens anxia cura iecur.

EMBLEMA CXVIII.

Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.



CXVIII

Multa ſciant Reges, quæ ſibi nota tacent.

Publica laxatis ſtat aperta pecunia ſaccis,
  Dum ſimul in tabulâ teſſera iacta ſonat.
Imo etiam aduectans ſtillanti vulnere ceruum
  Tityrus, argutâ concutit arte fores:
Limine & à iuſto quia clandeſtinus aberrat,
  Impellit notæ leniter æra nolæ;
Ianua nec clauſtro pigra ſtat concluſa ſeuero,
  Sed mox pulſantem ſurripit ex oculis.
Interea ad cæcos ſpectans Rex ſingula crates;
  Quæ ſibi ſunt oculis cognita, geſta tacet.
Nec vocat ad pœnas, neque fœdos arguit actus;
  Nec triſti atroces detonat ore minas:

S

ed ſatis eſſe putans ritè exploraſſe miniſtros,
Quæ tacitus damnat, diſſimulando tegit.
ex nimirum oculis non regnet ſemper apertis;
Et tempus, quando clauditur alter, erit.
on tela ad quoduis ferrunt Iouis ignea crimen:
Tempus & is, quo ſit ſicut inermis, habet.
ec ſtomachum quæuis rumpant delicta regentis;
Nec ſibi quæ nouit, mox velit eſſe palam.
carpenda videt, prudens non omnia carpat;
Seruet apud mentem poſtea agenda ſuam.
redi tur imperio, ſceptroque inidoneus ille,
Qui nihil in Regno diſſimulare poteſt.

EMBLEMA CXIX.

Coniuratio diſſipanda.



CXIX

Diſiunge, peribunt.

Vim prunæ ardentes ſæuas accendere flammas,
  In cumnlo iunctæ ſi foueantur, habent.
Dat vitam, & vires calor his, & mutuus ardor,
  Alteraque alterius fota valeſcit ope.
Et niſi præuertas, ploranda incendia ſpargent,
  Totaque fors valido corruet igne domus.
Nil melius ſparſis cumulum diſſoluere prunis,
  Mox etenim quæuis ſola relicta perit.
Non eſt abſimilis ſæuo medicina furori,
  Cum populus rabidâ ſeditione furit.
Dum coëunt cœtus, dum iungit turbida dextras,
  Et capiti confert plebs rabioſa caput,

t mox infeſtas paſſim diſcurrit ad haſtas,
Inque, inſana, ſuos, clamat ad arma, Duces.
Quid ſperare potes, niſi dira Rebellio cladem,
Quam ferre, & patriæ quæ dare damna ſolet?
ed diſiunge animos, cœtus diuelle procaces,
Abrumpe & cautis fœdera conſiliis;
ulgus in aduerſos iunctum diducito ſenſus,
Diuide & in partes, quod modo corpus erat;
ioxque mori extinctis cernes incendia flammis,
In gelido vt moritur pruna perempta foco.
xiguas ciuilis habet diſſenſio vites,
Si furor, & rabies, plebſque coire nequit.

EMBLEMA CXX.

Cauſæ malorum tollendæ.



CXX.

Calido ſubtrahe ligna ſoco.

Non durant morbi, niſi ſint fomenta malorum:
 Vt ſubito abſcedat tolle alimenta febri.
Omnia habent homi num certas incommoda cauſas;
 Hæc generat peſtem, nutrit at iſta, malam.
Excitat humano turbata in corpore morbos
 Temperies, & nî fers medicamen, alit.
Ciuiliſque ſuas habet & diſcordia fontes,
 Vnde trahens ortum longius illa fluat.
Omnibus at melior nulla eſt medicina ſalutis,
 Tollere, quam, quæ ſunt robur, & eſca mali.
Addita ligna foco, quam magna incendia paſcunt?
 Subtrahe, tota ignis vis, rabieſque perit.

Con

onſilium eſt ſapiens; cauſam ne ponito morbis;
Aut ſubito emenda, ſi data cauſa fuit.

EMBLEMA CXXI.

Non contra, ſed cum ſole.



CXXI.


Oppoſitis nocet ille oculis, ſed lumen ab ipſo captantes recreat.

uid malè ſolares oculos intendis in ignes?
An lippire tibi, flere vel vſque lubet?
l iuuat aſpectu ſolem contendere contra;
intuitum radiis opprimit ille ſuis.
is lucis amans, & cernere quæris acutum,
Et legere, aut claro ſcribere forte die,
, ſed non contra, capta tibi lumina ſolem,
A latere affulgens ſplendeat ille tuo:

Oppoſito nocet, at iuxtà iuuat ille tuentem,
 Et face, ſi cedas, ſubleuat vſque ſua.
Effigiem Rex ſolis habet: quod in æthere Titan,
 Hoc Rex in regno creditur eſſe ſuo:
Par eſt Maieſtas; par ſplendor lucis vtrique:
 Sol nec habet; poterit Rex neque ferre parem.
Sol vetat aduerſos ſecum contendere vultus;
 Aduersùm cœcat cernere ſi quis amat:
Nec fas, nec tutum eſt, quemquam ſeſe opponere reg
 Non patitur reges vna corona duos:
Obliquè recreat cuncta excipientia lucem.
 Qui ſpectant contrà, ſol hebetare ſolet.
Pro ſequitur regum clementia blanda ſequaces,
 Sæua ſed oppoſitos Principis ira ferit.
Si ſapias, regi nunquam contrarius obſta,
 Solis in aduerſos tela, faceſque gerit.

EMBLEMA CXXII.

Truncus armatus: Minæ inanes.



CXXII.

Vanæ ſine viribus iræ.

oricâ, & galeâ, clypeoque indutus & enſe,
Militis effigiem truncus inanis habet;
t per ſæua velut facturus vulnera cædem,
Obuia futilibus faſcinat ora minis.
ſt, habet haud vllas non ficta ad prælia vires;
Stat larua, & motu, vitâ animoque caret.
æpius illa licet decies, deciesſque minetur,
Iamque tuum credas velle ferire caput,
il tamen efficiet: pendent ſine ſenſibus arma,
Omnis, qui poſſit lædere, motus abeſt:

Quicunque aduenieus iras ridebit inanes;
Et pueri imbello detrahet arma manus.
Nempe, & ſunt fruſtra, & vanæ ſine viribus iræ:
Terrent inualidæ pectora nulla minæ.
Cui vis exigua eſt, ſapienter comprimit iram:
Et vi quæ careant, abſtinet ille minis.
Sit licet Alcidæ, fractus contemnitur arcus:
Haud faciunt vllum fulmina bruta metum.

EMBLEMA CXXIII.

Dignis.



CXXIII.

Merces virtutis, honor.

[E]uxino auratum quæ duxit ab æquore vellus,
  Heroum vectrix nota carina fuit.
[N]on ea degeneres traxerunt carbaſa fucos,
  Delectos proceres ſed tulit iſta ratis.
[N]ec fuit ignaui labor is: neque debita vulgo,
  Sed tantum egregiis gloria digna viris,
[N]unc etiam indecores fugiunt ea vellera mentes,
  Et tantum Heroës, qui meruêre ferunt.
[I]nclyta nimirum eſt virtutis gloria merces,
  Et bene promeritos concomitatur honos.
[A]bſit vt indigno dependeat aurea collo,
  Quam pellem inuicti tot petiêre Duces.

Quiſquis eam geſtat, vir ſit velut alter Iaſon:
 Herculis inque ſuo pectore corda gerat.
Vileſcunt animi, ſi ſegnis inertia portet,
 Quod labor, & virtus promeruêre, decus.

EMBLEMA CXXIV.

Sincerè.



CXXIIII.

Sine fraude doloq́ʒ.

Neſcio, quas hominum nunc paſſim excogitet artes,
 Turba, cui tribuit nomina nota πόλις.
Cor Deus obſcurâ non ſat regione locauit,
 Nec ſatis hoc pectus pellis & oſſa tegunt;
Sed noua nunc vltrà quæruntur pallia cordi,
 Sartor & eſt magnus, qui facere iſta poteſt.
Perſpicuas cupimus veſtes, nudataque colla;
 Tegmina quæ deceat, vix ſua corpus habet;

Nud

Nuda placent cunctis, humeri nudantur, & artus;
Quæque queant melius membra latere, patent.
Sollicitè aptantur ſoli velamina cordi,
Doctius, & laudem qui tegit illud, habet.
Non ea mens noſtra eſt, ſed ſum ſine fraude, doloque,
Et nudum in manibus cor ſine fraude gero.
Aurea ſi quondam formabant ſæcula mores;
Cum nemo obducti pectoris Auctor erit.
Aſt ea Saturno viguerunt ſæcula rege,
Sed nunc Mercurius, cum Ioue, regna tenet.
Ille doli faber eſt; formas hic accipit omnes;
Nos ambo leges, & ſua iura docent.
Iupiter in varias nos inſtruit ire figuras,
Et faciem veri diſſimulare animi.
Fingere Mercurius falſo mendacia corde
Monſtrat, & inſtructum pectus habere dolis.
Inque manu qui corda gerat, vix cernitur vllus,
In patulo, eſt ſtultus, qui modo pectus habet:
Namque ſuum nomen ceſſit prudentia fraudi;
Pro canâ & regnat ſimplicitate dolus:
Ridetur ſi quis nunc pectus laudat apertum,
Et magni Momus creditur eſſe Iouis.
Sed ne fallaris, falſa hæc ſapientia mundi eſt:
Abſque dolo in cælis pectora cuncta patent.

EMBLE-

EMBLEMA CXXV.

Sermo index animi.



CXXV.

Pretium ſonus indicat æris.

Et pretium, & vitium tacti ſonus indicat æris;
Nam benè non æquè cuncta metalla ſonant.
Non idem plumbo fuluo tinnitus & auro eſt:
Argento reſonat terrea teſta minus.
Æraque diſtinguunt aures Campana, nolaſque,
Ex ſolo, quæ ſint anteferenda, ſono:
Hinc falſa abiicient; hinc non benè miſta notabunt;
Hinc dicent, multum hæc; ſed nihil iſta valent.
Lingua animi Campana ſui eſt; ſonituſque, loquela:
Indicium cordis, ceu ſonus æris, habent.
Nam fatua, an prudens mens ſit, ſermone notatur.
Atque animo pretium lingua loquendo facit.

Hæc

Hæc ſi prudentem blateratrix verberet aurem,
 Mox vacui indicium pectoris auris habet.
Illa cupidineas ſed ructet fæda cloacas,
 Sordida mox animi clara mephitis erit.
At contra excultam poliat prudentia linguam,
 Sermoque cordato ſanus ab ore fluat;
Mox animi accipient ſapientis pectora laudem,
 Et ſonitu ex linguæ præmia corda ferent.
Quare animum ſi quis volet explorare loquentis,
 Obſeruet, veniat qualis ab ore ſonus;
Iamque tibi illius fiet certiſſimus index,
 Vel mala lingua mali; vel bona lingua boni.

EMBLEMA CXXVI.

Detractores critici.


CXXVI

Et maculas in ſole vident.

Quis ſeruare poteſt critico tam tempore famam,
 Quo maculas etiam lumina ſolis habent?
Quodnam eſt nobilius phæbo, vel purius aſtrum?
 Aut quod ſuppoſito det bona plura ſolo?
Nil tamen à criticis pulcherrime Phœbe mereris;
 In vitioſorum ſed quoque caſtra venis.
Aſtra Mathematicus qui nunc tubus omnia cenſet,
 Hactenus, & næuos, qui latuere, videt.
In te nunc etiam maculas conſpexit, & atris
 Tam puram faciem non caruiſſe notis.
Creditur Aſtronomis, & ſol maculoſus habetur,
 Mundíque infamat lumina ſumma tubus.

Candida

andida, quid mirum, ſi nunc quoque fama nigreſcit?
Lingua Mathematico plus oculata tubo eſt.

EMBLEMA CXXVII.

Aſtromantæ.



CXXVII.

Nil vanius iſtis.

Vanius Aſtrologo nihil eſt ſub ſole Prophetâ,
Cuilibet ex aſtris qui ſua fata canit.
lle ſibi fingit, quæ ſunt ſuper aëra nuſquam,
In cæli vacuo conſtruit ille Domos:
s vitæ, is morti confictas fabricat ædes;
Ædibus & muros linea ficta facit.
Sinarum muro murus fatalior iſte eſt;
Parcarum murus nam regit iſte colum.

Si

Si ſtatione ſtetit muri tua ſtella ſub iſtâ,
Quam ſtolidè Aſtrologus finxerit eſſe necis,
Ne tibi promittas diuturnæ tempora vitæ:
Nam Clotho à cunis mox tua fila ſecat.
Quæ ſi fors nexo Lacheſis tibi reddere nodo
Integra, & in longos vult renouare dies,
Inuida mox primæ ſtudio coniuncta ſorori
Atropos, incaſſum perpetuata, rapit.
Nec ſpes iam ſupereſt; ſed tantum funera reſtant,
Clepſydra nam vitæ iam vacuata tuæ eſt.
At ſi naſcenti vitæ tibi limina tangat,
(Viuendi limen finxit & ille ſibi.)
In longum pigræ ducent tua ſtamina Parcæ,
Et tardè accipiet trux ſua naula Charon.
Si te Saturno naſcentem principe tellus
Excepit, nigro felle pudendus eris.
Marte ſed è Matris domino ſi fugeris aluo,
Sanguinolentus homo prælia ſæua geres.
Pullus eris veneris, cultorque inſignis amoris,
Sederit in Cypriæ ſi tua ſtella domo:
Sed fur Mercurij mores imitabere Furis,
Hæc ſtatio vitæ ſi tibi prima fuit:
Diuitias Phœbe, Phœbus promittit honores;
Regnabis; natum ſi fouet aula Iouis.
Inſuper & cunctis fingunt quoque nomina ſtellis,
Queis ſtolidè populus robur ineſſe putet.
Stella cui ſæui finxere vocabula Martis,
Naturam Martis ſanguinolenta gerit:
Quod dicunt Venerem, mera per ſua ſomnia, ſidus,
Sit licet exanimum, vim Meretricis habet.
Denique dant cunctis hæc vim figmenta Planetis,
Sideraque his, nunquam quòd valuere, valent.
Senſibus imo carens, fatale eſt mentibus, aſtrum:
Et vires homini queis dominetur habet.

ilicet Aſtrologo ſeruit, ceu fabula, cælum:
Et ſibi, quam finxit, nomen ab arte parat.
quicunque ſapis, ſtolidis his crede Prophetis,
Pro cœlo, illorum dant cerebella fidem.

EMBLEMA CXXVIII.

Neſcit inflecti.



CXXVIII.

Lacrymis ne fide puellæ,
Vt flerent oculos erudiere ſuos.

i ſapias, lacrymis nunquam moueare puellæ,
Vt flerent oculos erudiere ſuos,
ero quidem Doctor, benè ſed præcepit, amoris,
Cum puerum Cypridos Naſo cauere docet,
)?tam caſta vtinam ſemper præcepta dediſſet,
Nec ſua tractaſſet fœda Magiſteria,

Is foret

Is foret Euxini nunquam miſer accola Ponti,
Corpus & in Getica non poſuiſſet humo.
Sed quæ iuſſa dedit vitandi ſanus amoris,
Hæc aliis ſtolidus, non dedit ipſe ſibi:
Hinc procul à patria, latiâque excluſus ab vrbe,
Perpetuò irati Cæſaris exul erat
Tu melius ſapias, ſequere & meliora monentem,
Poſt caſum ſapiens nam meliora docet.
Dulce puella malum eſt, verbis valet illa doloſis,
Confictis lacrymis mollit & iſta viros.
Firma animum contrà, diſcas contemnere flentem:
Si ſpernas, ſiccas mox habet illa genas.

EMBL

EMBLEMA CXXIX.

Malo ſperni, quam eneruari.



CXXIX.

Eneruant animos Citharæ, cantuſq́; lyræq́;

Et vox, & numeris brachia iacta ſuis.

uid fugis inſipiens? cur gaudia ſpernis honeſta?
Cur non tu, mundus quod probat omnis, agis?
n neſcis iuueni cumulum decedere laudis,
Si nequit ad numerum ritè mouere pedes?
on illum virgo, cætus non æſtimat vllus:
Ruſticus, aut ſimplex dicitur eſſe nimis.
n vix vlla carent grato conuiuia ſaltu,
Ipſaque habet choreas turba colona ſuas:

Saltac

Saltat & in patulis iuuenilis bucula campis,
Gramineque in viridi cum boue læta ſuo eſt:
Tam fauet hæc blandum naturæ gaudia numen,
Vt quoque amet choreas beſtia muta ſuas.
Nec noua res hæc eſt, longum ſed culta per vſum,
Mos venit à primis iſte profectus auis.
Tun' mundo iuueni quemquam ſaltaſſe negabis?
Cur auctor Citharę creditur ergo Iubal?
Scilicet ad Citharam non ſaltauere priores,
Sed pecudum choreis illa miniſtra fuit.
Neſcio an hoc vnquam fuerit prudentius æuum,
Nunc prolem at choreas diſcere quiſque iubet.
Tu ſolus ſapiens chorearum gaudia ſpernas!
Adque Lyram, & Citharam plumbea crura geras
O ſtolide, & ſolis Monachorum nate cucullis,
Quidnam hominum in cœtu ruſtice lente facis?
Hactenus hæc iuueni cecinit malè ſuada voluptas,
En, quantus pinxit verba doloſa color!
Aſt iſte, auertens mentem conſtanter, & aures:
Tantum, eneruat, ait: ſed neque plura refert:
Sed verbo hoc ſolo, prudens data verba refutat:
Hocque argumenti iudicat eſſe ſatis.
Deliciis animi certum eſt langueſcere vires:
Delicias Citharæ, vox, lyra, ſaltus habent.
Tempora ſunt Choreas benè cum permittit honeſta
Cumque animum Citharæ, voxque, lyræque fouen
Tunc tibi lætitiæ fructum captare licebit,
Gaudiaque haud ſegni carpere plena manu.
At ſunt deliciæ, quas ſuadet cœca voluptas,
Diſſolui nimiis cum iuuat illecebris.
Has damno: has animos corrumpere dico viriles:
Peſtiferam & caſtis moribus eſſe luem.
Has fugit hic Iuuenis, mentemque obturat, & aures:
Cur rectè, (*eneruant,*) vox ſatis vna probat.

EMBL

EMBLEMA CXXX.

Procul ab oculis, procul à corde.



CXXX.

Admonitu renouatur amor.

ui cupis illicitos extinguere victor amores,
Hoc fac, quod Iuuenis, ſi ſapis, iſte facit.
x oculis remouet, quam diligit, ille puellam;
Scriptaque ſub pedibus, quæ dedit illa, terit.
ec metuit pictos charæ conſcindere vultus,
Admonitu turpis ne renouetur amor.
ollere res ſana eſt, quodcunque reponit amorem;
Viuit, & aſpectis paſcitur ille notis.
d velut infuſis moriuntur fontibus ignis,
Interit & gelidâ pruna ſepulta niue;

I Sic

Sic ſuſcepta necant Paphias oblivia flammas,
Et fugit ex animo non memoratus amor.
Hinc tu,qui tacito ſub pectore læſus amore es,
Cui velut in calido ſtant ſua corda foco,
Dele cuncta tuæ quæ ſunt tibi ſigna puellæ,
Et refricant veteris vulnus amicitiæ.
Nec tibi difficile eſt,Venerem ſepelire relictam,
Si procul ex oculis iuſſeris eſſe tuis.

EMBLEMA CXXXI.

Conſpicilia. Non omnibus eadem.



CXXXI.

Q ot capita, tot ſententiæ.

aud oculis eadem vitra ſunt percommoda cunctis;
Sed magę præ reliquis quæ probet, omnis habet.
inc ſibi nec quæuis ſpecularia comparat emptor,
Deligit aſt, oculis quæ putat apta ſuis.
licet huic pretium longè ſit vilius illo,
Attamen hoc pluris, quod placet, ipſus emet.
am variè ad viſum mittunt ocularia formas,
Vna nec ex æquo pupula quamque capit.
tera conſtringunt ſpecies, aſt altera laxant;
Illaque laudantur, quæ mage, quemque iuuant.

Vt nequeunt eadem cunctis ocularia fingi,
Sed ſibi quæ libuit fingere, quiſque probat:
Sic eadem humanæ rarò eſt ſententia menti,
Diuerſo capiti nec facilè vna placet.
Hic aliam; aſt aliam, quam vult, ſibi concipit ille;
Atque tenax propriæ eſt quilibet vſque ſuæ.
Scilicet eſt eadem neque mens humana; nec vna
Et ſenſum ratio, iudiciumque regit.
Hinc ea pro capitum numero diſſenſio nata eſt;
Quiſque quid & proprij, quo moueatur, habet.
Aſt ego tam varios inter, reor, optimus ille eſt;
Qui ſua ſenſa animi per meliora regit.

EMBL

EMBLEMA CXXXII.

Falſa doctrina; ignis ſatuus.



CXXXII.

Cæcat ſallitq; ſequentem.

ec bene,nec tuto fatuo quis ducitur igne;
In cœnum,& fœdos deuenit ille,lacus.
æcat enim mendax,& fallit flamma ſequentes,
Et cœca incautos in loca cœca vehit.
rrat enim,& pulſu fertur per inania venti,
Inque hanc,quâ fuerat nata palude,rapit.
lateries viſcoſa illi,quæ mota caleſcens,
Fallaci formam concipit igne facis,
uminis & veri mentitur ſubdola lucem,
Et ductrix,veluti iuſta lucerna,præit,
Aſt oculos hebetans inopino faſcinat igni,
Notitiam & certæ ſurripit illa viæ.

Si ſequeris te blanda trahet, falletque ſequentem,
Si fugias, timidum poſt tua terga premet.
Hæc falſæ ratio ſemper ſectæque doloſæ eſt,
Hæreſis hanc ſpeciem perfida lucis habet.
Illa fidem ſimulans, doctrinæ & dogmata ſanæ,
Pectora in errores non bene cauta trahit
Subdola fax illa eſt, obſcurâ luce refulgens,
Cui plerumque ortum fœda Lacuna dedit,
Æmula ſed ſolis lucem prommittit eunti,
Quæ ſolis melius lampade monſtret iter.
Sed nihil eſt aliud, fatuo niſi fulgor ab igne,
Et vaga corruptæ flamma paluſtris aquæ,
Seu putreſcentis viſcoſus ſpiritus auræ,
Quemue halat fædus putida terra vapor.
Huic vos tam falſæ nunquam (ô!) committite luci,
Quicunque ad cœlos inſtituiſtis iter.
Doctrina hæc, ſtygiâ fax eſt accenſa palude,
Ad ſtygios etiam pertrahit illa lacus.

EMBLEMA CXXXIII.

Qui malè agit odit lucem.



CXXXIII.


Odit mala turba diem.

Exigit igniuomo noctem cum Cynthius axe,
  Diffugiunt orto lumine noctis aues:
Impatiens lucis mox quærit Bubo latebras,
  Et repetit tenebras noctua fœda ſuas;
Necnon & ſubeunt ſua ſordida tecta volucres,
  Quæ tetrum à ſero veſpere nomen habent;
Quin Striges, & Vlulæ, tenebris & quicquid amicum
  Obſcænarum auium lucis honore caret,
Mox ſua in obſcuris conſueta foramina ſaxis,
  Antraque conſpicui luminis orba, petunt.
Odit nempe diem, ſceleris quæ conſcia mens eſt,
  Atque palàm cerni culpa pudenda timet;

Seu metus id faciat pœnæ, ſeu torqueat ipſa
Sæpe etiam ingenuus corda nefanda pudor.
Eſt etenim rarus tam raſâ fronte ſceleſtus,
Quem non in patulo diſpudet eſſe malum.
Abſit, vt ob crimen quiſquam cogatur ab atrâ
Præſidium fronti quærere nocte ſuæ;
Hinc animum caſtis ornemus moribus omnes,
Vt ſit nulli oculos tollere ad aſtra pudor:
Viuere nam non eſt, vitam ſine luce pudendam
Ducere, & à recto pectus habere procul;
Viuere ſed verè, vitam eſt exponere Soli,
Quæ labe, & turpi munda pudore caret.

EMBLEMA CXXXIV.

Spes falſa.



CXXXIIII.

Fallitur augurio ſpes bona ſæpè ſuo.

Quæ ſegetum multo recrearant flore colonos,
Et meſſis dederant diuitis arua fidem,
In modo tempeſtas grauidis viduauit ariſtis,
Nudaque ſaxosâ grandine tacta iacent.
Non ſeruant fracti ſtipulas in arundine culmi,
Læſaque ſuſtollunt nec ſata læta caput.
Contritæ recubant agrorum in puluere fruges,
Ceu paleæ immiſſis quando teruntur equis.

Quin conculcatis procumbunt ſemina campis,
  Aſſolet vt pedibus trita iacere ſeges.
Vanaque ſtratoris ſpes eſt fruſtrata labores;
  Et nunc lamenta,eſt nil,niſi mœſta ſuper.
In re nemo tuas ſpes prudens pone fugaci,
  Inſtabile id omne eſt,ſpes mera quicquid alit;
Hoc ſolum excipias tibi quod pia numina ſpondent;
  Vnica ſpes firma eſt,quam Deus ipſe facit.

EMBLE-

EMBLEMA CXXXV.

Fortunæ felicitas fragilis.



CXXXV.


Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet frangitur.

)rdine mercator ſtatuens criſtallina longo,
 In medio vænum-dat ſua vaſa foro,
ocula ſunt variis multum pretioſa figuris,
 Fortuna at primo ſtat quoque prima loco.
Iæc mira ſpeciem princeps oſtentat ab arte,
 Merciſque expoſitæ præmia prima refert:
Iirantis populi denſum circumſtat & agmen,
 Quique illam cupiat plurimus emptor adeſt.
Iateriem hic vitri, claro ſplendore nitentis,
 Is formæ eximiæ fortè probabat opus,
Cum ſubito ex ſtabulo ſuo improuiſus aperto,
 In medium penetrans pronolat vſque forum;

Et toto ſubiens oneratam corpore menſam,
  Suppoſito affricuit ſordida terga pedi;
Moxque tremens omnis cecidit congeſta ſupellex,
  Sparſaque per terram vitrea gaza iacet:
Nec ſua Fortunam laus eſt tutata cadentem,
  Inter, ſed maius, fragmina, fi agmen erat.
Sic quæ ſplenduerat modò, mox amiſit honorem,
  Et porco tergum, nulla, fricante, fuit:
Lapſa ſed in partes iacuit confracta minutas,
  Damnique indicium lata ruina dedit.
Quin pretium populi, nec iam mirantis habebat,
  Vſibus & nullis vtile pondus erat.
Nec madidis quiſquam caſum ſpectauit ocellis,
  Pro fletu dederat ſus ſcabioſa iocum.
Is ſolus lacrymis iacturam flebat amaris,
  Fortunam damno cui cecidiſſe fuit.
An potuit melius, vanæ fiducia ſortis
  Quam fragile, agnoſci, ſit malefida bonum?
At tibi, cui ſplendet forſan Fortuna, caueto,
  Eſt vitrea, attactu frangitur illa leui.

EMBLEMA CXXXVI.

Campanæ, vitrea & ænea virtus, & vanitas.



CXXXVI.

Laus non durabilis illa eſt,
Quæ virtute caret.

tat campana duplex, duplicem fabrefacta per artem,
Hanc faber ære dedit, facta ſed illa vitro eſt.
traque tacta ſonat, ſonitu mouet vtraque ſenſum,
Vtraque & aſpectus quo recreetur, habet.
anc flando, aſt iſtam fecit fundendo magiſter,
Et laude eſt operis dignus vterque ſui.
aus tamen amborum bene ſi penſetur ad vſum,
Plurima, queis vincat, præmia fuſor habet:
ic, etenim multos fecit, quod duret, in annos,
Atque graues ictus quod ſine clade ferat.

Flator at in fragili poſuit re tempus, & artem,
Afferat & cuius commoda nulla labor.
Iſte igitur tanto minus eſt laudabilis illo,
Quo vitro eſt duri firmius æris opus.
Par ratio illorum eſt, celebris queis gloria cordi,
Qui laudem à ſerâ poſteritate petunt.
Eſt, qui grandiloquis pingit ſua nomina verbis,
Et monumenta ſibi condere voce ſtudet:
Eſt quoque, qui ſolidâ virtute per ardua tendat,
Nominis vt fugiat poſt ſua fata necem.
Ille vitro ſimilis, quod dum confringitur ictu,
Lapſa breuem reddunt fruſtula ſparſa ſonum;
Sed ſupereſt nullum fructus laudandus in vſum;
De fracto at tantum dicitur; ecce, fuit.
Nam iacet obſcurus, nullo memorabilis actu
Nilque ſonum præter iam moriturus habet.
At virtute ſuos ſolidâ qui finiit annos,
Hinc nunquam totus morte peremptus abit;
Sed velut æterno ſeſe durauerit ære,
Perpetuo vitam non periturus agit.
Egregij hunc mores laudandaque geſta perennant,
Viuique æternat poſthuma fama decus.

EMBLE-

EMBLEMA CXXXVII.

Crumena pulchra, ſed vacua: laus inanis.



CXXXVII.

Laude caret, laudis qui nihil intus habet.


Quid pulchram, at vacuam miraris, ſtulte, crumenam;
Atque carens nummis ſuſpicis artis opus?
la quidem argenti filo ſplendeſcit, & auri,
Vt ſolet à Phrygiâ tela profecta manu;
ed, ſit pulchra licet, nunquam ditabit egentem,
Nec ſtomachi pellet flaccida burſa famem,
heca caret ſacro, ſit quamuis aurea, cultu,
Si nil diuini, quod latet intus, habet.
iiramur pulchrum, ſaccus ſed plenus amatur,
Putus & ingratus, ſi ſit inanis, erit.
iuitis, en, Reges ſcrutantur viſcera terræ;
Auro intus careat, nil foret iſte labor.

Si

Si Deus in pulchro pulchram tibi corpore formam,
Et cuiuis ſpecie poſſe placere, dedit.
Huc animum aſſiduis ſtudeas intendere curis,
Ne mentis ſpecies ſit tibi pulchra minus.
Sordida, quam turpe eſt, ſi mens in corpore pulchro
Incolat, & frontis ſit pudor ipſa ſuæ?
Qui volet eximiæ laudari munere formæ,
Is decus, & formam curet vt intus alat.
Quid facies formoſa iuuat, ſi pectore toto
Therſites regnum, Tiſiphoneque tenent?
Non eſt, ad veram quæ ducit ſemita laudem,
Quæ tantum, vt formâ conſpiciare, facit.
Intus mentis opes, intus bona pectoris hæc ſunt,
Quæ te laudandum, conſpicuumque dabunt.
Is pulcher verè eſt, qui ſe virtutibus ornat,
Laude caret, laudis qui nihil intus habet.

EMBLEMA CXXXVIII.

Conatus irritus pertinaciter non vrgendus.



CXXXVIII.

Illiſu capitis ſtultum eſt pertundere murum.

Quid duri ad finem capitis conamina proſunt,
Si te,quicquid agas,non velit ille ſequi?
Experiare licet, crebroque & fortius inſta,
Vrge importunis vel tua vota viis,
Si tamen vſque tibi tua ſit Conſtantia fruſtra,
Quem fructum labor hic tam capitoſus habet?


Deſi-

Deſine;& ad ſtudium mentem magis vtile transfer;
Perſequeris fruſtra quicquid habere nequis.
Quis molli ſapiens naſo pertundere murum,
Aut celſum ſolis carpere tentat iter?
Vt ſtimulum moueas,contrane allidere calces,
Vtque teras,limam lingere,ſtulte, velis?
Quod ſperare potes,prudens ſectator amato,
In non poſſibili perditur vſque labor.

EMBLE

EMBLEMA CXXXIX.

Tange montes:& ſumigabunt.



CXXXIX.

Oſtendunt aduerſa virum:felicia celant.

Decipimur ſtolidi,quia nos non nouimus ipſi,
  Et nil cum ſimus,credimur eſſe aliquid.
Ecce nitent culti non tacti fulmine montes,
  Queis nebulæ,aut fumus,flamma nec vlla nocet:
Summa tegunt lætæ ſpecioſa cacumina ſiluæ,
  Vitibus, atque hortis inferiora virent:
Nec ſua frugiferis ſubducit lumina Phœbus,
  Sed rident totâ,luce nitente,die.
Aſtra fauent etiam,de cœlo & parcitur illis,
  Nec fert his glacies,damna nec vlla gelu.

Deni-

Denique grata rapit menteſque, oculoſque venuſtas,
Ni que iſtis melius montibus eſſe putes.
Sed varìet ſtatus, & mittant fera fulmina nubes;
Diteſque iratus deuoret ignis opes;
Eruerint pulchras ventorum prælia ſiluas;
Nullaque iam lætum veſtiat arbor agrum;
Stent nudi erāſis formoſi vitibus horti,
Euerſumque ſolum nil niſi ſaxa tegant;
Mox decus omne fugit modo nec data gaudia perſtāt,
Nec, quod delectet iam iuga tacta ferunt:
Aſt olida obſcuro fœtent incendia fumo,
Efficit & teter nubila denſa vapor.
Hæc bellè humanos oſtendunt ſchemata mores,
Quos ſors diuerſos iſta vel iſta facit.
Cum fallax vultu ridet Fortuna ſereno,
Et nihil aduerſi, quod patiamur, adeſt;
Tum blandi, & faciles vitæ percurrimus æuum,
Mitiaque in molli pectore corda ſedent;
Tunc ſuperis chari, tunc & pietatis amantes
Credimur, & totâ mente timere Deum:
Tunc placidi mores; tunc ſermo mitis in ore eſt;
Imo meros loquitur mellea lingua fauos;
Tunc audire ſuas contingit Numina laudes,
Dicimus atque, pio debeo multa Deo.
Attamen aduerſis ſi fœda reflauerit auris,
Et Fortunæ retro vela ſecunda tulit,
Languida lethiferi ſeu vexent corpora morbi,
Seu ferus aggeſtas ſuſtulit hoſtis opes;
Nominis aut partos rapuit detractor honores,
Iecit & in noſtrum verba maligna caput;
Mox, velut accenſi fumant à fulmine montes,
Nubilaque, & in cineres, ſaxaque miſta vomunt;
Sic ſubito in cæcas animis ferueſcimus iras,
Reddit & inſanus ſordida verba furor;

Quin

Quin etiam ſuas tumidi minitamur, & enſes;
Totaque rixoſus pectora fumus habet.
Non eſt hæc hominis verè ſapientis imago,
Quem ſtabilem fruſtra ſors violenta quatit.
Nam veluti Pelago rupes concuſſa reſiſtens,
Immotum retinet non violata latus,
Sic is Fortunæ ſuccumbere neſcius iræ,
Perſtat & à victâ præmia laudis habet.
Mens tibi ſit ſimilis, contactaque fulmine ſortis,
Ne fumo, & flammis æſtuet, illa, caue.
Oſtendunt aduerſa virum; vis ignea ſtramen.
Deuorat; aſt aurum feruida flamma probat.

EMBLEMA CXL.

Educationis cura habenda.



CXL.

Surculus eſt qualis, talis & arbor erit.

Reddere qui largos ſua vult pomaria fructus,
Vtque ſalutares afferat hortus opes;
Is quacunque ſibi non carpit ab arbore germen,
Quod ſparſim quæuis horrida ſilua tulit:
Sed neque pomiferos Taxo, vel quercubus agros,
Culta nec horrenti conſerit arua vepre:
At tener eligitur generoſâ ex arbore ramus,
Quem Pomona ſuâ nutriit ipſa manu;
Qui (cautam à tali carptus genetrice per artem,
Quæ multæ laudem fertilitatis habet)
Enodi inſeritur, diffiſſo cortice, trunco.
Deque peregrinâ ſtirpe alimenta trahit

Al

Aſt vbi adoptauit ramum iam ſtipes alumnum
Vitricus,atque ambos vnicus humor alit.
Néue opus eſt vltrà geminos coaleſcere limo,
Suntque cicatricis iam neque ſigna ſuper,
artibus ex binis mox vnica naſcitur arbor,
Surculus at ſuccum,pomaque Matris habet.
Quique prius fructus caudex generaſſet agreſtes,
Aut ſtaret vacuis,& ſine fruge,comis,
ertilis,en,gratos trudit de cortice fœtus,
Et cupidum multo fœnore ditat herum.
cilicet inſitio naturam perficit ante,
Stipitis & ſuccos corrigit illa rudes;
melius crudos mutant namque inſita truncos,
Talis &,eſt qualis ſurculus,arbor erit.
iſcite queis teneræ cura eſt mandata iuuentæ,
Quantum humeris ſtudium,quodue feratis onus:
um tener eſt animus pueri,dum flexilis ætas,
Dumque bonis mens eſt artibus apta regi,
unc ſilueſcentes iuuenum præſcindite mores,
Ingenuas rudibus tunc date mentis opes.
t vita,& Genius primis dependet ab annis;
Quodque iuuenta bibit,ſera ſenecta ſapit.

EMBLEMA CXLI.

Conſiliarius fidelis.



Auge oculos, ſed tolle manus.

Si quis ad arcanas admotus Principis aures,
  Conſulti nomen grande Senator habet,
Ille ſuos poſitâ meditetur in icone mores,
  Præſtita quos illi mandat ineſſe Fides
Aucta ſtat illa oculis; manibus ſed manca reciſis,
  Cernere multa poteſt, ſed nihil accipere.
Hæc conſultoris frons eſt, & forma fidelis,
  Qui latus, atque aurem regis vtramque tenet:
Illi oculos facies, oculos quoque pectus habeto;
  Cui Regni tota eſt perſpicienda ſalus;
At manibus careat, manibus ne munera captet,
  Et fiat Regis venditor ille ſui.

D

ona trahunt animos non rarò in deuia rectos:
Dona det, arcani quilibet emptor erit.
ꝫctora muneribus penetratur ad intima Regum,
Occluſæ clauem munera mentis habent.
uneribus reſerata patent ſecreta ſenatus
Scita, atque iſta palam per fora cantat auis.
enique conſilium nunquam penetrabile nullum eſt,
Munera Conſultor ſi quis auarus amat,
inc quinam caſus, quam grandia damna ſequantur,
Qui poterunt calami, mille vel ora loqui?
e ſuam primus famamque amittit, opeſque,
Qui tanti ſceleris creditur eſſe reus.
ꝫpè nec euadit falſæ diſcrimina vitæ,
Dumque fidem frangit, perdit & ille ſuam.
re ſed, & merito, fortaſſe hoc accidit illi,
Omnis enim hâc noxâ eſt pœna luenda minor:
urima ſed miſero quæ dat mala publica Regno,
Quæque ſuo Regi præparat exitia,
ua Lydâ, aut Phrygiâ poterit diſſoluere Gazâ?
Aut queis Siſiphiis diluet iſta rotis?
e fidem ſimulans, ſpretis periuria Diuis
Concipit, & libycâ conſtruit arte dolos;
e arcana ſui diuendit Principis hoſti;
Periurus patriam prodit & ille ſuam;
ɔene fortunam rebus furatur agendis,
Seu monſtret bello, pace vel illa viam.
ꝫnique perfidiæ Rex huic ſit commoda merces,
Et pretium Regni proditor vnus habet.
nc tibi ſi fuerit, Princeps, Conſultor auarus,
Cui cupida eſt Iuris Regula ſola manus;
ic ſerues oculos, digitos ſed tolle rapaces;
Aut hos ſi nequeas tollere, tolle caput.

EMBLEMA CXLII.

Subſcribe incognita nunquam.



CXLII.

Ante probent oculi, chartam quam dextera ſig et.


En calami, chartæque iacent, nigra ſepia iuxtà
  Adſtat, quid ceſſas ſcribere lenta manus?
Non ſatis eſt, inquit ſapiens: ocularia deſunt:
  His ſine, nil debet ſcribere cauta manus.
Iunge oculos calamo, & cautè prius inſpice chartam,
  Si cui vis fieri per tua ſigna fidem.
Non eſt prudentis, quod nunquam legeris antè,
  Teſtatum cæcâ reddere velle manu;
Attulit, ah! quoties præceps ſubſcriptio damnum,
  Queis, ſi ſcripta forent lecta, tuliſſet opem!
Quam facilè eſt verbo calamos erraſſe Miniſtros,
  Ex quo mox ingens arſerit igne focus!

Quan

Quam facilè eſt, tabulis, quas lectas ipſe ſcidiſſes,
Impreſſam gemma ſuppoſuiſſe notam?
Quid? quod non raro, fuerant quæ credita ſcribæ,
Poſt, velut acta malâ, ſint reuocata, fide?
Denique narrari quæ multa pericula poſſunt,
Horum ſi verè nulla timenda putes,
Eſt tamen ignotis per ſe ſubſcribere fœdum;
Abderitanæ ſignaque mentis habet.
Non lectis igitur nunquam ſubſcribe tabellis,
Nec plus imprudens, quam tibi, fide aliis.
Namque etiam cautos facilè nos decipit error;
Vixque oculis audet fidere quiſque ſuis.

EMBLEMA CXLIII.

Auctoritas ſit penes Regem; Executio fiat per Miniſtros.



CXLIII.

Sol facit, at factas populo ſtylus indicat horas.

Præcipuus ſol eſt labentis temporis auctor,
Quique annum motu conficit ipſe ſuo:
Non facit vmbra diem, gignit neque Cynthia noctem;
Arbitrio mutant Solis at iſta vices.
Aſtra licet cœlo niteant diuerſa ſereno,
Officiumque habeant ſingula quæque ſuum;
Nulla tamen, cœli quâuis regione moretur,
Æmula Phœbæis lumina lampas habet.
Nec ſibi præ Phœbo primas fax poſtulat vlla,
Summa ſed ad Solem gloria, luxque redit.
Vaſa quidem radios Solis ſcioterica monſtrant,
Sed prius accipiunt Sole fauente diem;

Sol

Sol etenim facit, at factas ſtylus indicat horas;
Effectus laudem non habet vmbra ſtyli;
Sed tantum populo eſt, quo Sol proceſſerit index:
Quod bene ſi faciat, ſufficit officio.
Denique Sol quamuis ſolus non omnia præſtet,
Sed quoque ad effectum ſidera multa iuuant.
Illi prima tamen laudis præconia dantur;
Illius & geſtæ maxima fama rei eſt.
Sol Rex in regno eſt; primi ſunt aſtra miniſtri;
Pars mundi formam cœtera plebis habet.
Regem ſumma decet totâ ditione poteſtas,
Sitque honor alterius Regis honore minor:
At velut à Phœbo capiunt ſua lumina ſtellæ,
Vireſque aſtrorum Solis vt ardor alit;
Sic lucem à Regis ſumat fulgore miniſter,
Ipſe foret quamuis, qui tulit ante facem.
Clam Conſultoris Regem ſapientia formet;
Sed Rex laudetur pro ſapiente palam:
Illius ſacræ figantur nomine leges;
Ex illo, vt primo fonte, ſtatuta fluant.
Optima per populum currant mandata miniſtri,
Gloria ſed Regis prima iubentis erit.
Conſilio is bonus, & fortis ſpargatur in armis,
Præque aliis dignus, qui data ſceptra gerat.
Sit licet illius famuli prudentia rectrix,
Fidus & in regno cuncta miniſter agat.
Nam laudem Regis laus ne premat vlla miniſtri,
Sitque aliquid, quo ſit turba miniſtra minor.
Rex famulo & caueat regni concedere faſces
Iuribus & nulli iura det æqua ſuis.
Nam neque Luna vehit Solis, neque Lucifer axem,
Sit licet hic Phœbi prodromus, illa ſoror.

EMBLEMA CXLIV.

Ambitio cæca, & periculoſa.



CXLIIII.

Minor eſt laus iſta periclo.

Non omne id ſapiens, quod plebs miratur, habẽdũ eſt
Æquis iudicij lancibus illa caret.
Prodigus, en, vitæ ſtat ſummo in acumine turris,
Fixus in exiguo vix pede vtroque globo:
In quamcunque oculos partem circumferat orbis,
Nil præter mortis certa pericla videt;
Aëre ſtat vacuo; & cœlo ſublimis aperto
Exponit rapidis libera membra notis,
Nulla tenent loris firmatum vincula corpus,
Et capitis nullus roborat vmbo rotam;
Quin tribus eſt palmis totum vix latius iſtud,
Quod ſpatium plantis præſtat vtriſque locum:

Supr.


Supra æther, circumque vagæ cum nubibus auræ,
Infraque in lapſum vaſta ruina patet;
Nil crura eſt iuxtà ſua quo titubantia firmet,
Nil quod labenti corripiare manu:
Nil quo turbati cerebri vertigo fugetur;
Nil caſum ante oculos quo prohibere queat:
Sed quaſi contemptos vocet in certamina ventos,
Aut trux aduerſum pugnet vtrumque Iouem,
Infera ſic ſpernens pugnæ capit aëra campum,
Et ſit pugnandi turris arena globus.
Cui non concutiat tam vaſta audacia mentem,
Quam nemo ſpectans abſque pauore videt?
Quot tales hominum pridem periere per auſus!
Quot ſæpè in præceps fœda ruina dedit!
Ecquod & eſt pretium? linguæ niſi labilis aura,
Illo, vt dicatur, conſtitit iſte loco:
Forſan & accedunt quædam donaria: verum
Vix ſentit lucrum vendita vita ſuum.
Et tamen hoc vanæ (tanta eſt veſania) famæ
Vix dubia pretium quærere morte iuuat.
O ſtolidas hominum mentes, quas improbus vrit
Ambitus, & laudis ſemper auarus amor!
Deſinite inſipidi, vento captare ruinam,
Et certam fumo poſtpoſuiſſe necem.
Quis furor eſt, pretium tam futile ponere vitæ,
Quam ſunt, vox hominis, fumus, & aura, nihil!
Deſinite inſipidi, minor (ah!) laus iſta periclo eſt,
Quæ tali, ac tanto parua labore venit.
Si quem laudis amor, tituliq́ue, & gloria tangunt;
Nominis & famam perpetuare volet,
Non opus eſt celſas per certa pericula turres
Scandere, & interitus quærere ſponte vias,
Veri magna parens decoris Sapientia, veram
Planius ad laudem Diua parauit iter.

Diſcite, quas fragiles delent obliuia laudes,
Quæ ſolidum nullo tempore pondus habent.
Diſcite, quos mundus ſectatur cæcus honores,
Queis noſtra, vt vento mens agitata tumet.
Diſcite, terrenos contemnere deniq́ue faſtus,
Et quæcunq́ue animum vota per alta vehunt,
Inque humili firmate pedes, laudemq́ue putate,
Elatæ menti conſtituiſſe modum.
Hæc eſt ad veræ rectiſſima ſemita laudis
(Fama quod æternet non moritura) decus.
Quid iuuat excelſos tangentem vertice cœlos,
Stare vbi ſumma vagos Luna reflectit equos;
Si tibi terrificos minitetur ab æthere lapſus
Luxatura tuos certa ruina pedes?
Quid iuuat, aut opibus, Regumue fauoribus auctum,
Sub pedibus Gentes enumerare tuis,
Si tibi Sors firmam non ſpondet lubrica ſedem,
Ex te ſed faciet mox fugitiua pilam?
Crede, caret iuſtâ mundana ſuperbia merce,
Præmia nec tanti digna timoris habet.
Qui manet in plano ſecurior ille ruinæ eſt;
Lenius & multo, ſi cadat, ille cadit.

EMBLE-

EMBLEMA CXLV.

Nec auarè, nec prodigè.



CXLV.

Inter vtramque mane.

In medio virtus; vitiis extrema laborant;
In medio Princeps, qui manet, ille ſapit.
Dextera larga quidem, ſed nec ſit prodiga regis,
Nec conſtricta nimis; nam nimis omne malum eſt.
Sordida nil dantis manus eſt; ſed ſtulta profuſi:
Illa iuuat nullos, hæc nocet ipſa ſibi.
Infame eſt cunctis amor illaudatus habendi,
Mentis at heroæ fœdior illa nota.
Magnanimos habitare animos in pectore regis,
Quique iuuent multos per benefacta, decet.
Vt commune Deus, ſic Rex reputatur aſylum,
Et dare qui poſſit munera, quique velit.

Hinc dona, atque operæ quiuis bona præmia ſpectat,
Poſcit & in dubiis omnis egenus opem.
Turpis auarus homo eſt, totoque inglorius æuo,
Nullius fidus cultor amicitiæ.
Nam ſibi nec donis coniungere nouit amicos,
Munifica partos nec retinere manu:
Non illum ſectatur amor, non firma ſuorum,
Quæ valet in multis vtilitate, fides.
Non illum comitatur honos, non gloria laudem
Apparat ad ſeros continuanda dies:
Ille ſed æternos laceratur verſibus annos,
Et fit comœdis Euclio, ſiue Midas.
Sed neque laus Regi eſt, nullum ſi prodiga nummi
Dextera donandi neſciat ampla modum.
Vt nimis emiſſo langueſcit ſanguine corpus,
Et macie inductâ, debilitate perit:
Sic nimia infringit Regum largitio vires,
Nam Regni neruos prodiga dona ſecant.
Plurima opus Regi: ſumptus neque ſufficit vnus;
In centum riuos ducitur ille lacus,
At ſatis incautè nudat ſe viribus ille,
Prodigus alterius qui nimis auget opes.
Fiſcorum reditus, & vectigalia regni,
Et quos theſauros regia gaza tenet,
Sunt veluti ſanguis, ſanoque in corpore nerui,
Oſſaque, queis firmis, cœtera robur habent;
Hæc per larga nimis ſi ſpargat munera Princeps,
Atque alios à ſe transferat ad dominos,
Nonne ſibi extracto minuit ceu ſanguine vires,
Solus & in regno diuite pauper erit?
O! fœdum eſt, quando nudato Principe, regni
Poſſidet effuſas alter, & alter opes,
Tunc prece Rex regnat, proprio neque munere viuit,
Sed quas ditauit, reſpicit ipſe manus.

Tunc

Tunc exhausta iacent inſtantis robora belli,
Nec pace expenſis ſufficit ille ſuis.
Pauper compulſos pompâ ſplendere rogatâ,
Illorum viuit, queis dedit ante, ſtipe.
Cœtera prætereo, quæ pluria damna ſequuntur,
Cum ſuperat dando Regia dextra modum.
Ergo dona dabit, neque ſit concluſa merenti,
Prouida munifico Principe digna manus;
Sed ſimul attendet, ne ſit malè prodiga rerum,
Sicque det, vt poſſit ſæpius ipſa dare.

EMBLEMA CXLVI.

Exaltatio Miniſtrorum moderata.



CXLVI.

Haud humeros vltrà.

Laude quidem fas eſt fidos decorare Miniſtros,
 Tollere & ad iuſtos, qui meruere, gradus,
Namque etiam ingenuæ paſcuntur honoribus artes,
 Nec tantum nummos, qui bene ſeruit, amat.
Quin ſunt quos acuit magni plus nominis ardor,
 Quam diues quantas Craſſus habebat, opes.
Imo decet regem, dando vt neque ſordidus auro eſt,
 Nec, grato in meritos munere, parcus agri:
Sic ſit in augendo nimium nec auarus honore,
 Si famulus meritis dignus honoris erit.
Sed tamen vt ne ſit temerarius auctor honorum,
 Et tribuat, quæ poſt non tribuiſſe volet,

Non

Non nimium extollat, quem dignum laude putabit,
Nec iuuet, vt ſcandat Principis ille caput.
Altior is iuſto eſt, humeros qui Principis vltra
Regia colla pedi ſtans videt æqua ſuo:
Is tandem & cupiet ſummum pede tangere crinem,
Et regem plantas ſubter habere ſuas:
Non etenim eſt ſaties tituli, ſed creſcit habendo,
Et quò plus creſcit, plus adamatur, honos.
Aliquot, donec humi ſors illos ima tenebat,
In regem optabant vincere quemque fide.
Quos tamen, vt lætis venêre ad maxima ventis,
Et Regum nimius vexit ad alta fauor,
Vertit in infidos ventoſa ſuperbia ſenſus,
Et Dominos, Dominis ſe ſtatuere ſuis.
Sic faueat Princeps, ſic quos vult, tollat in altum
Vt cubitos infra quiſque ſit vſque ſuos.
Si qua nocere poteſt, eſt ſuſpectanda poteſtas;
Quæ nequit, huic ſolita eſt ſanctior eſſe fides.

EMBLEMA CXLVII.

Officia non facilè facienda hæreditaria.



CXLVII.

Donec vertero.

Vt diuerſa micant ſpatioſo ſidera cœlo,
  Apteque officio ſunt ſita quoque ſuo,
Sic varia in magno numerantur munera regno,
  Officiumque ſuum quiſque miniſter habet.
Præcipuè à nutu ſed pendent ſingula Regis,
  Muneris & quicquid Rex dedit, omnis obit.
Ille ſatellitium, gentemque hic dirigit aulæ,
  Iſte à conſiliis nomina magna gerit,
Ille præeſt armis, ſedem tenet iſte ſenatus,
  Prouidus is ciues Conſul in vrbe regit;

Quæſt


Quæſtor at hic reditus,& vectigalia cogit,
Et res ne capiat publica damna cauet,
Regnat & in pagis alius,prætorque ſtupendus
Explicat agricolis patria iura ſuis.
Eſt alius certa ſatrapes regione gubernat,
Et partem regni ſub ditione tenet:
Altior eſt Regni quiſquis moderatur habenas,
Proque ſuo,magnus Rex quaſi,Rege ſedet.
Inuenies rarum,qui non ea munera captet,
Vnumque ex multis ambitioſus amet.
Nec ſatis ad vitam vota obtinuiſſe quibuſdam eſt,
Sed quoque pro ſerâ poſteritate rogant,
Et quæ,munifici fuerant modo gratia Regis,
Nunc bona de primis miſſa putentur auis.
Hæc mala multa trahit Regum indulgentia ſecum,
Regnorum firmæ queis minuantur opes.
Iam quæ ſacra prius veluti regalia Regni
Extiterant,dominus mox alienus habet,
Quin velut hæredi propria,& quaſi debita fiunt,
Grandia quæ Regum ſigna fauoris erant.
Quid?quod delectis ſpolientur ſceptra miniſtris,
Cum hæres officij munus ineptus adit?
Nec ratione caret,quod vendi munia poſſint,
Donec in arbitrio libera Regis erunt;
Quin res officij ſtudio meliore geruntur,
Creſcit & impoſiti ſpeque metuque fides.
Nam bene qui ſeruit ſperat potiora miniſter,
At pœnæ ſegnes incitat vſque timor
Ita mouent alios;piger at nil æſtimat hæres,
Nam tolli haud metuit,quæ putat eſſe ſua.
Nunquam igitur facilè Regnorum debita fiant
Officia,à primis ceu teneantur auis.
Sed Rex officium cui vult donetque, feratque;
Sit conferre ſuum,tollere ſitque ſuum.

Indicat

Indicat hoc Regis quæ ſeruat clepſydra menſam,
Munia dum famulis diuidit ille ſuis,
Hæc notat, arbitrio quod ſubſint munia Regis:
In cuius, ſeu ſtet, ſeu fluat illa, manu eſt.

EMBLEMA CXLVIII.

Nec præſume, nec deſpera.



CXLVIII.

Fert tempus vtrumque.

Deſperes nunquam, nimium neque fide fauori;
Vertere fortunam tempus vtramque poteſt.
Ipſa leuis per ſe, variaque volubilis aura
Gaudet in ambiguis ire, venire rotis:
Fida nec eſt vlli, longo neque tempore firmum
Suſtinet in ſolido, quem leuat, eſſe loco.

Va

ah! quam, ſub quorum pedibus ſubiecerat auras,
Mox iterum è ſummo depulit illa gradu!
Quot contra euexit ſubito ad faſtigia, rebus
Queis deſperatis vita inimica fuit?
Scilicet in toto rerum variatio mundo eſt,
Ipſeque nil conſtans interiturus habet.
Nunc inopinatis mutantur dextera læuis
Mox iterum dextris dant quoque læua locum
Nil deſperandum, ſed nec præſumere fas eſt;
In mundo mutant ſtanſque, cadenſque vices.

EMBLEMA CXLIX.

Mundi ſelicitas puerorum ludus.



CXLIX.

Toto ſic luditur orbe.


Ludendi ſolita eſt pueris,& magna voluptas,
  In trabe cum puerum tollit in alta puer.
Trabs in ſuppoſito tranſuerſum maxima trunco,
  Aut motu facilis pertica longa,iacet;
Mox alacres huius ſcandunt extrema puelli,
  Et ſua in oppoſita corpora parte locant,
Nec mora, vt in torto iactantes membra petauro,
  Motibus alternis ima,vel alta petunt.
Pondere nunc grauior terram hic defertur ad imam;
  Iſque, ex aduerſo,qui ſedet,alta tenet.
At vice mox versâ deſcendere cogitur iſte,
  Euolat aſt alter, qui prius imus erat.

Sic ludunt pueri, ſupraque, infraque feruntur,
Et per mutatas ſtantque, caduntque vices:
Perſimilis toto ludus quoque luditur orbe,
Ludicrus eſt pueris, ſerius ille viris.
In trabe ceu pueri, inſtabili ſic ſorte mouetur
Res hominum, & variâ fertur in orbe vice.
Aſpice, vt Æſtheris patruo colluſerit Aman,
Hunc, quæ illi fuerat furca parata tulit.
Quid magni ſobolem refert memorare Iacobi?
Quam mirus fratrum ludus & iſte fuit?
An non, qui in vtero fratre tam dirè premebas
Scimus ad oppreſſi poſt iacuiſſe pedes?
Arctoos inter quanta alternatio Reges,
Hinc ante annorum tempora pauca fuit,
Quando hic aſcendit Solium de carcere Regni;
Carceris à Regno vincula at iſte tulit!
Nempe hæc ludentis fallacia ludicra mundi eſt;
Alternat quicquid proſperitatis habet.
Eleuat hunc iſtâ, parte hac mox deprimit illum;
Imo & eundem quem ſuſtulit, inde premit.
I nunc, & mundi rebus confide ſecundis,
Si ſapis, hæc puerum nil niſi ludus erunt.

EMBLE-

EMBLEMA CL.

Vt pateant aditus.



Acceſſure Iouem, da thus ante omnia Iano.

Mos erat antiquis adituris Numina Diuum,
Vt primum Iano thura, merumque darent.
Cauſa putabatur, Cœli quia Ianitor omnes
Ad clauſos aditum panderet ille Deos;
At qui muneribus prius haud feciſſet amicum,
Huic aditus clauſi, Ianua dura foret.
Qui cupis ad Regem, prudens bifronte ſtudebis
A Iano vt diſcas, quæ ſit eunda via.
Nam Iouis eſt Ianus clauſæ camerarius aulæ,
Exemplis reliquos format & ille ſuis.
Obuia vix raro eſt adeundi copia reges,
Per famulos cameræ ſed patet iſtud iter:

vole: hic Ianus, mox Rex te noſcet adeſſe,
Nec faſtiditis te trahet ille moris;
ſi noluerit; ſupplex repedabis in aulam,
Sæpius & de te Rex ſciet vſque nihil.
uid facias ergo, vt Iouis admittaris ad aurem,
Et referas facilis vel tria verba Dei?
iuinum primo Iani da munus ad aram,
Verbaque cum donis officioſa tuis.
ni ſacra ſtipem poſcunt cum melle: litatum
Eſt male, munifica, ſi ſtipe mella carent.
uod ſi plura voles, poteris ſuperaddere plura;
Nam recipit Ianus thuſque merumque ſimul.
ea ſtips olim fuerat: nunc conuenit aurum,
Quin maſſa argenti ſtips quoque iuſta ſacri eſt.
io igitur ſemper cura deuotus haberi,
Quiſquis amas magni limen adire Iouis:
m fruſtra es, ſi te durus contempſerit ille,
Toruaque rugoſis offerat ora genis.
ic primum illius patulam ſta largus ad aram,
Atque manu grauidâ ritè operare ſacris,
in etiam officiis, gratiſque merebere verbis,
Orabiſque operam præſtet vt ille ſuam;
c ceſſes ſanctis cumulare altaria donis,
Dum videas cultu te placuiſſe tuo;
nc facilè accedes, patulis & Ianus valuis
Ad quoſcunque voles, te ſinet ire Deos.
magna eſt ſacris, ditant vbi munera Sanctos.
Omnis at in ſacris munera Ianus amat.

EMBLEMA CLI.

Vtilior Regni frequentia & Fertilitas, quam Maieſtas & amplitudo.



CL

Magis vtilis hæc eſt.

Hîc ſtat, ferre potens ſtructas in tergore turres,
  Aduena de Libycis bellua vaſta plagis.
Enixa aſt illic fæcunda ſub ilice fætum,
  Pinguis, & à cæno ſordida porca iacet;
Aſpicit aſſiſtens attentâ mente colonus,
  Iudicioque animal penſat vtrumque ſuo.
Grandior, inquit, is eſt, longè at fæcundior iſta;
  Optio, & hanc malim, ſi mihi noſtra datur.
Magna quidem moles elephas, ſpectataque miros
  Clamores paſſim, plebe ſtupente, facit.
Fertur enim bello, ſæuis & idoneus armis;
  Magnumque in magno corpore robur ineſt.

Nam portat plenas armato milite turres,
Et muri ſpeciem, ſicut euntis, habet.
Maxima ſit licet, ad Cereris tamen illa labores,
Ruſtica nec quicquam beſtia ad arma valet:
Nec iungi plauſtro, necti neque commoda raſtro eſt,
Apta nec vt curuo vomere findat agros:
Nec ſtabulum partu ditat; nec fœta frequenter
Multiplicat ſobolis fertilitate gregem:
Namque ferunt binos vterum geſtare per annos,
Pignoraque in partu ſingula ſola dare;
Adde, quod è cunctis fera ſit proſcripta culinis,
Vt caro quæ faciat tœdia longa cocis.
Quid mihi cum tali, ruris nihil vſibus aptâ?
Commoda quæ Domino vix ferat vlla ſuo?
In bello valeat, ſed ego ſum pacis amator,
Et pecorum laudes vtilitate probo.
Huic tantæ moli grauidam præponere porcam,
Crediderim agricolæ iure licere mihi.
Hæc bis fæcundum fœturæ iactibus annum
Efficit, & largo pignore ditat herum,
Menſibus illa parit fœtu grauidata quaternis,
Fitque parens capitum ſæpius vna decem.
Hæc mihi laudetur, ſitque hæc in amore colonis,
Quæ laudem tantæ fertilitatis habet.
Quam ſubito hæc magno ditat pecuaria lucro!
Quam citò ruricolæ pauperis auget opes!
Quid laudes memorem ſapida quas carne meretur?
Quam gratis homines paſcat & illa cibis?
Si mihi res liceat magnis componere paruas,
Et quod habent laudis reddere cuique ſuum;
Hanc ego fertilibus ſimilem bene dixero regnis,
Queis populo, & fructu plenus abundat ager.
Rex ego, fæcundum malo, & mage fertile regnum,
Quam ſterile, hoc quamuis ſit ditione minus,

Huius

Huius enim bello, grandiſque potentia pace eſt;
Terra ferax hominum, fœnore plenus ager.
Vnde etiam Reges aliis facit eſſe tremendos,
Et ditat geminâ fertilitate ſuos.
Sed quaſi ſus Regnum eſt, multa quod gente redundãs
Vix poſſit ciues enumerare ſuos.
Contra Elephas regni ſterilis mihi fiat imago,
Vbere ſit quamuis forſan honore prius.
Nam licet is grandi longè ſit corpore maior,
Plus illum fœtâ plebs ſtupet atque ſue;
Infelice tamen fæturá infamis, inopſque eſt,
Et nulla ex illo, lucra Colonus habet;
Sic ſunt Regna plagis longè excurrentia vaſtis
Quæ grandis tituli nomina magna gerunt,
Terra ſed, eſt ſterilis, raroque exculta colono
Nec populi, aut rerum fertilitate potens,
Hinc vt frugis egens; ſic nummo, & milite, pauper,
Vix defendendæ ſufficit ipſa ſibi.
Quare vt frugiferum ſterili præponimus aruum,
Diuitis & grex ſtat pauperis ante gregem.
Vt regnum melius, cui ſunt ditiſſima rura,
Et lata innumeris bona habitata viris;
Sic ego turrigero pecori præponere porcam
Audeo, quæ ſtabuli diuitat vſque gregem.
At tu infæcundo qui tantum es corpore magnus
Sed nullas Domino das male fœtus opes,
Sit licet excelſus, porteſque in tergore turres,
Me, palmam pandæ, Iudice, cede ſui
Quod ſi ad certamen quoque perueniatur honoris,
Vel per me, miri plus Elephantus habe.
Vtile al vlterius ſi vis committere miris;
Mira parum proſunt, vtilitate fruor.
Hæc abs ruricolá referuntur dicta colono,
Qui Regnis pretium ex fertilitate facit,

Creditur

Creditur & ſanâ quod ſit ratione locutus;
Sintque hæc Principibus verba notanda viris.
Non regem intentis decet huc incumbere curis,
Vt plebs in regnis ſit numeroſa ſuis,
Agricolis pagos, & ciuibus augeat vrbes,
Et nuſquam tellus non habitata vacet,
Vis etenim infracta eſt, grandiſque opulentia regnis,
Et multa Princeps milite in arma valet,
Cum neque ciue domus, crebro neque culmine tellus,
Nec ſtabula armento, fruge nec arua carent.

EMBLEMA CLII.

Vita aulica.



CLII.

Allicit, & terret; procul hinc ſed tutius abſum.

Aſpicit excelſum felix Campania montem,
Quem propè, Nolanus rura colonus arat;
Veſtius eſt aliis, alij dixere Veſeuum,
(Si carmen patitur) Veſuuiumque vocant.
Is circumpoſitis longè lætiſſimus aruis,
Ad celſa erecto tollitur aſtra iugo,
Huic ceruice tenus, medio ſtant corpore vites,
Pampineaque togâ contegit vua latus:
Imas læta ſocrus veſtit plutonia plantas,
Temperat & calidum pendula ſilua diem,

Camporum iuxta ſparſis vberrima villis,
Multiplici paſſim iugera fruge virent.
Sed planum in ſummo quaſi pando culmen aheno
Latè hiat, & veluti feruet ab igne focus.
Hinc ater piceo prorumpens turbine fumus,
Flam̃marumque ardens mixta fauilla globis,
Ignitos cinerum fluuios, liquefactaque ſaxa,
Viſceraque ex imo montis aduſta vomunt:
Fundoque erumpens, ſuperas grauis halitus auras
Inficit, & teter contegit aſtra vapor.
Hunc ſuper haud vllæ volitant impunè volucres,
Sed necat audaces fœda Mephitis aues.
Nec raro accenſus, rupto velut aggere, torrens,
Ardentes cineres, vſtaque ſaxa trahens
Effuſus cæcis, monte eructante, cauernis,
Vertice de ſummo lata per arua ruit;
Atque auidus cultos plenis cum vitibus hortos,
Ruraque cum pagis deuorat igne ſuis,
Hinc circum latè, loca per vicina, furentis,
Diluuij ſparſus pectora terror habet;
Quoque magè vbertas habitantes allicit agri,
Afficit & facies quoſque venuſta loci:
Hoc magis ardentis propiores terret aheni;
Perpetuus vomitus, nec bene tuta domus.
Hinc ſunt qui malunt procul hâc abſcedere ab orâ,
Quam tam vicino figere tecta rogo,
Ne ſubita inuolui contingat fortè ruina,
Dum quærunt terræ fertilitate frui.
Vix illi abſimilis ratio eſt, quæ ſparſa per aulas,
Alta frequens regum limina turba terit,
Hos adamatus honos, illos intenta voluptas,
Diuitiæ aſt alios, ſpeſque, fauorque trahunt;
Et quodcunque boni nomen ſortiur in aulis;
(Namque etiam ex aulis commoda mundus habet.)

Haud minus, exculti quam pinguia rura Veſeui,
Allicit, aut circum delicioſus ager.
Sunt tamen aularum quos crebra pericula terrent,
Illaque flamniuomi montis vt ora timent.
Nam metuenda minus nunquam ſunt fulmina regum
Priſtina cum cecidit gratia, facta furor;
Quam, quos horrendos iaculatur Veſtius ignes,
Aut qui vicinos amnis adurit agros.
Tutius hinc multis procul eſſe putatur ab aulis:
Nam propiora vorat flumna, remota manent.

EMBLEMA CLIII.

Non æqualiter fidendum omnibus.



CLIII.

Vultus non omnibus idem.


Quam diverſa gerunt varios animantia vultus:
Tam nec habent hominum pectora pectus idem.
Sunt, queis cum humanâ mentis concordia formâ
Eſt magna, & genius fraude, doloque carens.
Sunt, quos, verſuto latitans ſub pectore vulpes,
In quamvis faciem vertere corda, docet,
Sunt quorum genio formam tribuêre leones,
Aut animi mordax finxerit ora canis;
Quid tigridum dentes, vrſos, rictuſque lupinos,
Aut referam turpis ſordida roſtra ſuis?
Omnes, quas circes genuerunt pocula formas,
Diverſorum hominum corda, animique gerunt.

Non idem mos eſt,ſenſus non omnibus idem;
Virtutem,aut vitium par neque quiſquis habet.
Sunt quibus in pretio virtus,& fida ſodali eſt;
Qui peius triſti fallere morte putant,
Sunt,queis ſinceri,rectique eſt nulla cupido,
Sed tantum pendunt vtilitate decus,
Talis perpetuum tibi ſe ſimulabit amicum,
Te Pyladem dicet,Pirithoumque ſuum;
Sed mox deceptus ficto inuenieris Oreſte,
Et falſum cernes Theſea Pirithous.
Hinc nimium ſimplex nunquam te crede cuiuis,
Sed tibi ſint longâ corda probata fide.
Facta recens Manuës gnatum decepit amica,
Saluus,ſi temerè non adamaſſet,erat.
Alterius diro Machabæi ſecta Triphoni
Colla iacent;nimium credidit ille citò.
Occubuit iaculo Paridis confectus Achilles,
Credulus à falsâ captus & ille fide.
Nomina fingenti Cyclops credebat Vlyſſi,
Vindictamque oculi perdidit ille ſui.
Sed quid ego enumerem,citò queis confidere noxam
Intulit?innumeri credulitate iacent.
Qui dextrè humanas poterit cognoſcere mentes,
Fidere nec,niſi ſit ſat bene nota,ſapit.

EMBL

EMBLEMA CLIV.

Vires, ante inceptum proba.



CLIIII.

Pondus diſco meum.

Conſuetudo frequens, longos agitata per annos,
  Atque ab auis ad nos more profecta tenet,
Quâ ſolet in libræ populus conſcendere lancem,
  Corporis & pondus quærere quiſque ſui.
Res ſi ad corpoream referas tantummodo molem,
  Eſt leuis, haud curis digna, ſed apta iocis:
Notitiâ at proprias hâc ſi cognoſcere vires
  Vis, & in effectu ſcire quid ipſe queas;
Noueris vt mentis, ſimul & tua pondera carnis,
  Et fias totus cognitus ipſe tibi,
Magna eſt in tali Patrum prudentia facto;
  Vnde ſuperba nimis mens moderamen habet.

Namque ignara ſui, cæci præſumptio cordis,
Cauſa mali multis exitioſa fuit.
Creſcit amor proprius, quiſque & ſeſe æſtimat ipſe,
Maiorque eſt oculosq uilibet ante ſuos,
Sit Deus, aut fiat, quo ſe putet eſſe minorem,
Cui ſemet proprius noſſe negauit amor.
Muſca ſit ille licet (tanta ignorantia veri eſt)
Pro tamen ingenti ſeſe elephante feret.
Hinc animi tumor, hinc fit temerarius ardor;
Impetus hinc frenum pro ratione tenet;
Hinc parium ſuppreſſus honos, hinc clara minorum
Iniuſtè variis gloria læſa modis:
Quin furor & præceps, maioraque viribus auſa,
Factaque prudenter non facienda fluunt:
Mox odia, & lites, & iurgia fœda ſequuntur,
Enſis & in tenui cuſpide vita ſedet.
Sed ſint iſta nihil, quin & præſumptio ſecum
Aut vitæ, aut famæ funera nulla trahat.
Turpe tamen ſeſe eſt temerè accinxiſſe labori,
Cum mox inceptis ſis minor ipſe tuis.
Turpia vt hæc vites non vanus iuſſit Apollo,
Prudenter vires noſcere quemque ſuas.
Accipe doctrinam, pandamque inſcende bilancem,
Nec pigeat, pondus cum docet illa tuum,
Hoc feret in variis tibi commoda plurima rebus,
Nec dicêre domi non ſatis eſſe tuæ.

EMBL

EMBLEMA CLV.

Dubia atque incerta, non ſupponenda pro certis, atque confectis.



CLV.

Pellem non capti nunquam venundabis vrſi.

Fors geminos nummi iuuenes torquebat egeſtas,
(Mythica ſi veram dant documenta fidem)
Quare dum tacitâ multum ſub mente volutant,
Pauperiem poſſent quo releuare modo;
Conſilio ſtatuunt vrſæ diuendere pellem,
Illa licet primum poſt capienda foret;
Eſſe etenim facilè, à geminis & fortibus vnam
Sterni vrſum, & captâ pelle redire domum:
Nec mora, quæſitos condixit pellio nummos,
Namque acquirendæ pellis auarus erat.

Vrſigenas igitur generoſo pectore ſiluas
 Ambo petunt, voto diues vterque ſuo.
Sed fuit inflatæ breuis hæc conſtantia menti,
 Obuia nam grandis protinus vrſa fuit,
Moxque illis cecidere animi, timor oraque preſſit,
 Et fuit arreptæ proxima cura fugæ.
Arboris in ramos trepidè celer euolat alter,
 Fulmine ceu tactus concidit alter humi.
Moxque, animæ explorans admota nare meatus,
 Prolapſum attento circuit vrſa gradu.
Fœdaque iam naſo, mox auribus applicat ora,
 An ſignum vitæ fors daret aura leue.
Ille vias animæ cunctas ſed clauſerat arctè,
 Decepta & ficti funeris arte fera eſt.
Sicque à ſe mortem ſimulata morte fugauit,
 Alter in arboreo vertice tutus erat.
Viſaque iam miſſis ſiluas repetiuerat illis,
 Creditaque eſt antrum iam ſubiiſſe ſuum,
Quando animo certa veluti de morte reſumpto,
 Venditor ad ſocium pellis vterque redit:
Et mox, cui trepido vitam ſeruauerat arbor,
 Effundens tremulo paucula verba ſono.
Vidi ego de ramis quando te circuit vrſa:
 Dic, tibi in auriculam quid fera dixit! ait.
Hoc mihi dicebat, iam cautior intulit alter,
 Grataque erunt animo pòſt documenta meo:
Pellem non capti nunquam venundabis vrſi,
 Capturo nondum nam tibi tuta tua eſt.
Non vrſæ hæc nobis ſed ſint ab Apolline dicta,
 Nam ſunt fatidico dogmata digna Deo.
Noxius eſt error, certo ſupponere falſum,
 Factaque iam credi, quæ facienda latent.

EMBLEMA CLVI.

Non ſemper virebimus.



CLVI.

Tacitis cuncti exareſcimus annis.

Stat vetus areſcens vegeta inter robora quercus,
Deciduis ramis, & prope calua comis.
Quin ramorum artus ſubtus, defectaque ſucco
Multa ad radices arida membra iacent:
Ipſa & perpaucas retinens in culmine frondes,
Parte ſui exiguâ, cœtera ſicca, viret;
Aſt ingens fuerat ramis ingentibus arbor,
Maior in vmbroſis nec ſtetit vlla iugis.
Grata olim æſtiuum pecori depellere ſolem,
Frondeque ſub denſâ condere Luſcinias;
At nunc exeſam paulatim longa vetuſtas
Opprimit, atque animâ deficiente necat.

Sic omnes tacitis pedetentim occumbimus an[illegible]s,
Inque necem occulto tendimus vſque gradu:
Quin iuuenes abeunt lento cum tempore vires.
Semper & ex nobis mors ſua lucra capit.
Quid vegetis igitur ſtolidi confidimus annis,
Et fruſtra ſerò quærimus eſſe ſenes:
Omnibus (ah miſeri!) veteraſcimus vſque diebus,
Atque ſenes fieri cogimur ante diem:
Nec formoſa iuuat, Venerique æquata venuſtas,
Nec vis, nec pietas, ingeniiúe vigor:
Tendimus, & trahimur; ſpontè, inuitique mouemur;
Et properant iuuenes ad ſeniora dies.
Quin veluti limâ vires raduntur, & anni
Nec quod præteriens abſtulit hora, redit.
Nil ſtabile in mundo eſt; morimur quoque quando vi
remus
Omnis, vt areſcens denique quercus homo eſt.

EMBLEMA CLVII.

Nos quoque floruimus.



CLVII.

Ad vos mox veniet, iam nos præceßimus, ordo.

Quæ ſteteram in ſiluis longè pulcherrima fagus,
Per loca lata meis conſpicienda comis,
Quæ crebro æſtiuas fregi paſtoribus auras,
Cum traheret reſonum fiſtula rauca nemus.
Sub cuius densâ requieſcens fronde viator,
Inceptum feſſus ſæpè refecit iter.
Nunc vetulæ impacta ſuccidimur, ecce, ſecuri,
Et meriti ratio nulla prioris adeſt.
Sed defloruimus; flos namque erat ipſe caducus;
Nunc quoque cedo aliis tota reciſa locum.
Quod mihi contingit, cunctis continget in orbem,
Proxima lignatrix iam mihi ligna ſecat.

Ad vos & properat, qui nos modo tranſiit ordo;
Qui nunc vos ornat floſque caducus erit.
Viuite me melius quotquot durare poteſtis,
Plus faueat vobis, quàm mihi, ſilua locum.
Sed moneo, veſtro nimium ne fidite flori;
Mox inopinato tempore ſiccus erit:
Veſtra tegant etenim ſpatioſum brachia fundum;
Frondibus & veſtris temperet vmbra diem;
Sitis amor volucrum; veſtroque à culmine ſiluâ
Aligerum varios reddat amœna ſonos;
Quin auium in denſis ſaliens plebs plurima ramis,
Extruat in veſtris plumea tecta comis;
Denique ſiluoſis ſitis celeberrima campis,
Gloria; Hamadryadum deliciæque choris;
Vos tamen haud quicquam præconia tanta iuuabunt:
Non fuerat veſtro noſter honore minor,
Et tamen occidimus: res hinc diſponite veſtras;
Mortis enim cunctæ cædua ſilua ſumus.

EMBLEMA CLVIII.

Sic tranſit gloria mundi.



CLVIII.

Arboris vt vento decutiuntur opes.

Cum blandita ſuis multo pomona colonis
Fœnore, pomiferos larga beauit agros,
Iamque, incurua ſuæ grandi ſtans pondere prolis,
Quælibet effuſas, explicat arbor opes;
Quam grata hortenſes tunc dant ſpectacula Nymphę,
Quam varia humanus gaudia ſenſus habet!
Ditia tunc plenis nutant pomaria ramis,
Ipſa voluptatem copia larga facit.
Tunc recreant oculos pingentes poma colores,
Tunc nares, picto cortice miſſus odor:
Tunc pyra languentem reparant matura ſaporem,
Et ſua, quæ placeant munera guſtus habet:

Eſt

Eſt neque tactus iners:ramo decerpere fœtum
Et verſare manu poma vel ipſa iuuat:
Nec caret auditus, veniat quo grata voluptas,
Turba autumnales cum canit omnis opes.
At quando, Æoliis ventorum fuſa cauernis,
In fera prorumpens prælia turba furit,
Tunc quoque pomorum capiunt mala grãdia matres
Namque cadit ſoboles;ſtat ſine prole parens.
Inde quatit Boreæ funeſta potentia ramos;
Humidus hinc amplas decutit Auſter opes;
Parte alia,inſanis vertex agitatus ab Euris,
Amittit miſtis mollia poma pyris;
Ruris & in fœdam decuſſa opulentia terram,
Defœdata luto, læſaque tota iacet,
Et nihil arboribus ſupereſt,niſi fortè capillus,
Aſt hunc,quæ ſequitur, mox quoque bruma rapit.
Sic truncis perit omne decus,ſic gloria ramis,
Statque bonis arbor deſpoliata ſuis:
Nec Lephyrus fœtæ,Lephyri neque profuit vxor,
Nec queis hortorum eſt ruſtica cura, Dij.
Sed contempta arent viduis pomaria lignis,
Sæua velut vitâ quæ ſpoliauit hyems.
Non eſt abſimilis mundi fortuna ſuperbi,
Illius ſpeciem pomifer hortus habet.
Quin plus illius delectat gratia multos,
Quam quas autumno porrigit hortus opes.
His laudatur honos,iſtis eſt grata voluptas,
Luxuries alios,diuitiæque trahunt.
Eſt aliis longâ pulchrum ſplendeſcere pompâ,
Atque viam multis carpere ſeruitiis.
Sunt quibus excelſum captatur culmen in aulis,
Feliceſque illos,qui tenuere,putant.
Sunt,queis grande decus longè deducta propago eſt;
Ordoque ab antiquis enumeratus auis:


Cla-

Clara placent aliis bellacis præmia martis,
Rhetoreæ eſt aliis gloria ſumma togæ:
Denique, quæ vanus complectitur omnia mundus
Munera, præcones queis celebrentur, habent.
Aſt, (ô!) quam ſubitò perit hæc tam cara voluptas.
Quam citò diripitur quicquid in orbe placet!
Florida vt à Vernis pereunt vineta pruinis,
Statque infrugiferis vitis aduſta comis;
Vt, fera cum quatiunt fœcundos flamina ramos,
Arboreæ à vento decutiuntur opes;
Sic oſtenſa fugit fucati gloria mundi;
Quin ſpes cum magnas fecerit, illa perit;
Tu tua; ne (verum eſt) caue vt experientia dicat;
Nam mille exemplis hoc didiciſſe ſat eſt.

EMBLE-

EMBLEMA CLIX.

Nil vltra in terris.



CLIX.

Curſus hic terminus eſto.

Grande maris tandem feſſi tranauimus æquor,
Non procul à portu iam mea puppis abeſt:
Conſpicio alterius iam promontoria vitæ,
Buſtaque, quæ video, vociferantur, adeſt.
Ergo meæ excipiant quaſſatæ carbaſa proræ,
Quæ ſtant in ſacio multa ſepulchra loco.
Hic terræ finis; patrij hæc ſunt oſtia portus,
Littore in hoc ſiſtit nauita quiſque ratem;
Quicquid plus vltra eſt, portus vel carcer habetur,
Ille bonis requies, pœna ſed iſte malis:
Si bene non fidas rector ſua vela per vndas
Duxit, & in portum plena carina redit,

Cant

Cantabunt reduci iucunda celeuſmata ciues;
Monſtra & quæ, dicent, ſint ſuperata maris;
Ille etiam æternam geſtans in vertice laurum,
Præmia, perpetuò non moritura, feret.
At ſi tranſtra vagis deſes permiſerit Euris,
Vel neglecta ſedet naufraga prora vadis,
Aut huc vel lacerâ, aut iuſtâ ſine merce reuerſa eſt,
Eluet æterno carcere ſegnitiem.
Hinc bene præuideas, quam diuite littora naui,
Et quam ſelectis mercibus, iſta petas;
Nam neque defectus alio emendare labore;
Corrigere aut curſum nec relegendo licet:
Nil vltra in terris, operum ſed terminus hic eſt:
Omnia proclamant hoc monumenta loco.
Aſpice, quam multis ſtet terra aggeſta ſepulchris,
En hoc nautarum quot tegit oſſa ſolum;
Hanc tantum omnis habet, quod contulit ipſus in orã,
Correxit factum nemo reuerſus iter.

EMBLEMA CLX.

Hæc vltima linea rerum.



CLX.

Aut exul, ſine fine mali, vel Rex, ſine fine bonorum.

Denique iam patriam peregrè remeamus in vrbem,
  Quaſque lucrifeci, concomitantur opes;
Alterius facies ſe aperit nunc altera mundi,
  Aſpicio & finem, ſed ſine fine, meum.
Non hic aſſiduo voluuntur tempora motu;
  Nec variant vllas lux, tenebræque vices,
Hîc vaga nulla meat referens aurora labores,
  Nulla hic præterita eſt, nulla futura dies;
Sidus ab occaſu nullum hic transfertur in ortum,
  Sol hic occiduos non agit vllus equos:

Con

Conſtant iuncta ſimul nexa ex adamante catenâ,
Conſeruantque ſuum ſingula firma gradum:
Exſcenſu primo, primoque in limine portus,
Mox vbi tanguntur littora prima pede,
Scinditur in geminas procurrens ſemita partes;
Dextra iter, ad cœlos; ad ſtyga læua via eſt.
Quiſquis ab Oceano victor redit aduena mundi,
Et ſaluâ largas naue reportat opes,
Illi, de patriis occurrens obuia muris
Turba frequens, lauro vincit amica comas;
Moxque triumphali pompâ ad capitolia cœli,
Inſignem meritis, agmina læta vehunt;
Atque hic, ætherea totâ acclamatus ab aulâ,
Numinis excelſum ſiſtitur ante thronum,
Regis vbi exceptus ſummo omnipotentis amore,
Ornatur ſerui laudibus ille boni:
Et mox, æterni ſumpto diademate regni,
Gaudia perpetuo, nil doliturus, habet.
At ſi quis fractâ venit hæc ad littora puppi
Inſiſtor, aut cuius merce carina caret.
Qui piger ignauo conſumpſit tempora ſomno,
Aut infecta graui crimine corda gerit,
Hunc in dira rapit ſtygius mox vincula lictor;
Perpetuuſque poli finibus exul agit.
Quin & in immanes Erebi coniectus hiatus,
(Horrendum!) æterni fit miſer eſca rogi.
Atque his fine carens ambobus clauditur ætas
Illa, quæ in æternos eſt peragenda dies:
Hæc duo cunctarum finis ſunt denique rerum,
Aut cœli requies, flamma vel atra ſtygos;
Huc iter eſt facilè; pronus deſcenſus in orcum eſt;
Ianuaque æterni carceris vſque patet.
Nec opus huc multo pigros properare labore;
Ad ſuperos ſatis eſt non tenuiſſe viam.

At tu,

At tu, præſentis qui tranſis tempora vitæ,
 Elige, quo teneas, hic peregrinus, iter;
Tartara, vel cœlum; regnum, vel flamma ſuperſunt:
 Et locus alteruter mox habitandus erit;
Te penes eſt, quem vis: hoc eſt diſcrimen in illis:
 Ocia ad hunc ſat ſunt: iſte requirit opus.

FINIS.

EMBLEMATVM.

Regno ſuo Rex præſens adſit.
Opera omnia luſtrat. pag.1.
II. Regia virtus clementia.
Ara timori. p.3.
II. Moderatè regendum.
Non arctiùs æquo. p.4.
V. Bellum non facilè mouendum.
Non expedit concutere felicem ſtatum. Seneca Oedip. p.6.
. Pacis & belli conſortium.
Eodem tendat vterque. p.7.
I. Hoſtem priùs noſce quàm time.
Sæpè ignorantia vani
Cauſa metus. p.9.
II. Sis & fugientem cautus in hoſtem.
Non rarò eſt fugiens pugnante nocentior hoſtis. p.10.
III. Adſit prudentia bello.
Superat prudentia vires. p.12.
X. Parti ſit cura tuendi.
Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri. p.13.
. Diuerſa diuerſis gubernandi ratio.
Vnum non conuenit omni. p.14.

XI. Regis

XI. *Regis ad exemplum.*
Euincet, cùm Rex, quod iubet ipſe facit. p.
XII. *Priuilegia non facilè danda.*
Ne detrahe molle capiſtrum.
Eſt iterum frænare labor. p.1
XIII. *Conſiliarij.*
Oculis opus eſt inſomnibus. p.
XIV. *Res publica priuatâ potior.*
Priuatâ valeat publica cauſa magis. p.2
XV. *Præuidendum.*
Melius præuiſa cauentur. p.2
XVI. *Salpa.* p.2
XVII. *Non niſi tuſa ſapit.*
Fœmina. p.2
Varium, & mutabile ſemper.
XVIII. *Lacertus.* p.2
Ingratos, non bene cautus, amo.
XIX. *Scorpius.* p.2
Dum palpor, noceo; medeor, dum conferor.
XX. *Viator.* p.2
Ante, quam occumbat.
XXI. *Fabri.* p.2
Dum calet.
XXII. *Philomela in caueâ.* p.2
Solor mea tædia cantu.
XXIII. *Auicula alligata.* p.2
Quam modicum impedit!
XXIV. *Mercator.* p.3
Vincit amor lucri.

XXV. H

V. Hercules victor. p.31.
Auget Victoria famam.
VI. Victus. p.32.
Pereunt & laus,& præmia victo.
VII. Luctatores. p.33.
Præmia dant animos.
VIII. Stulti. p.34.
Ditant ſua ſomnia ſtultos.
IX. Occaſio. p.35.
A fronte tenetur.
X. Leo,& Aſinus. p.36.
Caue Principis iram.
XI. Cautela Regia. p.37.
Non omnia ad vnum.
XII. Mala Conſcientia.
Non eſt tortura ſeuerior vlla.
XIII. Verberones. p.39.
Vix cæſi emendes,quibus eſt fiducia tergi.
XIV. Beneficentia Phariſaica. p.40.
Careant benefacta rubore.
XV. Decoctor. p.41.
Ars lacrymas dabit iſta liquandi.
XVI. Mala fortuna. p.42.
Mala irruunt, bona arrepunt.
XVII. Auarus. p.43.
Qui neſcit dare,neſciat accipere.
XVIII. Fortunæ diuerſitas. p.44.
Non omnibus idem.
XIX. Deo iuuante. p.46

Facilis conſcenſus in altum
Succellante Deo.
XL. *Bilances Chriſti, & Diaboli.* p
Quod leuat, illa grauat; quod grauat, iſta leua
XLI. *Ad pœnam aliorum prompti, ad propriam t*
ſumus. p.
Propriis pronum eſt ignoſcere culpis.
XLII. *Philautia.* p
Mirator formæ ſimius ipſe ſuæ eſt.
XLIII. *Meretrix.* p.
Plus habet ipſa veneni.
XLIV. *Ira.* p.
Sapiens moderabitur iram.
XLV. *Similitudo.* p.
Iungit amor ſimiles.
XLVI. *Clementia.* p.
Decet clementia Reges.
XLVII. *Segnities.* p.
Frangit inertia vires.
XLVIII. *Vitia abrumpenda.* p.6
Breue ſit, quod turpiter audes.
XLIX. *Vipera in Electro.*
Non ſemper meritos, quæ decet, vrna tegit.
L. *Inſtructio.* p.6
Naturam inſtructio vincit.
LI. *Impunitas.* p.6
Crimine ſecuro ſcelerum fiducia creſcit.
LII. *Timor animat.* p.6
Pro vitâ & timidis porrigit arma metus.

LIII. C

LI. Critici. p.66.
Iuueneſq;,ſeneſq;,
Et pueri,naſum Rrinocerotis habent.
LIV. Seruus improbus. p.68.
Lingua mali pars peſſima ſerui.
LV. Præda iniuſta. p.69.
Rarò habet euentus impia præda bonos.
LVI. Magnanimus. p.70.
Acuit me gloria laudis.
LVII. Nimia ſecuritas. p.71.
Spoliatis arma ſuperſunt. p.73.
LVIII. Principia curanda.
Principiò neglecta labant.
LIX. Fiſcus & æraria. p.74.
Pars optima Fiſco.
LX. Feritas mitigata. p.75.
Nemo adeo ferus eſt,vt non miteſcere poſſit.
LXI. Vita veredaria. p.77.
Vitæ nē crede fugaci.
LXII. Paupertatis remedium. p.78.
Sedulus obſequio fert alimenta labor.
LXIII. Pro vitâ. p.80.
Cum timet exitium,tunc pugnaciſſima vita eſt.
LXIV. Non conuitio,ſed gladio. p.81.
Augent conuitia rixas.
LXV. Hus nihil edacius. p.83.
Res cunctas tempus,mors ſeniumq; vorant.
LXVI. Impedimenta tollenda. p.84.
Tolle quod obſtat.

LXVII. *Auctore Deo.* p.85
Quid non ope poſſumus illa?
LXVIII. *Propter ſecuritatem.* p.86
Ne allidar.
LXIX. *Quieſcat.* p.88
Somnum ne rumpe leoni.
LXX. *Arma regia.* p.89
Rex iungat vtrumq́3.
LXXI. *Oculi alieni.* p.91.
Miſerum eſt alieno cernere vultu.
LXXII. *In vtrumque paratus.* p.92.
Non bella magis, quam fœdera pacis.
LXXIII. *In proprio Carthago perit.* p.93.
Finit in hoſtili citius victoria bellum.
LXXIV. *Nutrix regia.* p.95.
Huic lac non conuenit omne.
LXXV. *Vipera Tiberij.*
Non ſemper gratia regum.
Seruat magna malos.
LXXVI. *Netrices.* p.99.
Dedecet vtilitas, quâ non ſeruatur honeſtas.
LXXVII. *Experientia.* p.101.
Experientia perficit artem.
LXXVIII. *Meliora ſequor.* p.102.
Ne pudeat meliora ſequi, licet extera.
LXXIX. *Iupiter ſpoliatus.* p.104.
Sceleri dat inertia Vires.
LXXX. *Non vi, ſed voce.* p.105.
Fama potentior enſe.

LXXXI. *Vir-*

XXXI. *Virtus inuidiâ maior.* p.107.
Non obſcuror licet illa ſequatur.
XXXII. *Ante ponderandum, quam bellandum.* p.108.
Ante tubam trutina.
XXXIII. *Pietate, & armis.* p.110.
Operis planabunt aſpera iunctis.
XXXIV. *Conſilio & armis.* p.112.
Arma foris vigeant, conſiliumq; domi.
XXXV. *Larua hortenſis.* p.113.
Minuit præſentia famam.
XXXVI. *Sapientiæ vis.* p.115.
Fortunæ Sapientia victrix.
XXXVII. *Labore, & induſtria.* p.116.
Fortunæ ſum faber ipſe meæ.
Canis & felis. p.118.
XXXVIII. *Firmatur ab vſu,*
A teneris contractus amor.
XXXIX. *Seruus fidelis.* p.120.
Conſeruat dominum fidi vigilantia ſerui.
XC. *Conuerſatio cum feminis.* p.121.
Ni cautus fugias, vix hinc illæſus abibis.
XCI. *Exercitium.* p.123.
Ire docetur eundo.
XCII. *Odit victoria ſomnos.* p.125.
Perdunt Vina, Venus, ſegniſq; ſocordia Martem.
XCIII. *Senſus proprius.* p.127.
Cuiq; ſuum pulchrum.
XCIV. *Iuſtum tributum ſoluendum.* p.128.
Euacuat iuſto medicus moderamine venam.

XCV. *Moderata durant.* p.130

Nimio compreſſa labant, moderata ferantur.

XCVI. *Hypocriſis.* p.131

Non eſt, quod cuiq; videtur.

XCVII. *Voluptas moderanda.* p.133

Nocet infrenata voluptas.

XCVIII. *Pauper ſumptuoſus.* p.134

Eſt ſtultum nullis volitare per aëra pennis.

XCIX. *Vitanda præſumptio.* p.135

Maius nil viribus aude.

C. *Corrumpit lumina fumus.* p.137

Non bene conueniunt hæreſis, atque fides.

CI. *Virgini ſit cura ſamæ.* p.139

Candorem comitatur odor.

CII. *Fucandi vanitas.* p.141

Melius natiua placebo.

CIII. *Iſtas caue virgo ſagittas.* p.143

Si penetrent animum, vix medicina iuuat.

CIV. *Non eſt inuicta libido.* p.145

Facilè his ſed vincitur armis.

CV. *Seruent quoque dona decorum.* p.147

Nil, niſi iuſta, petes; nil, niſi iuſta, dabis.

CVI. *Sit deſiderij certa cupido tui.* p.149

Neutrum capio, dum ſector vtrumq;.

CVII. *Conſuetudine magiſtrâ.* p.151

Paulatim inſolitis docuit conſueſcere tempus.

CVIII. *Conſilium malum conſultori peßimum.* p.153

Non eſt lex iuſtior vlla,

Quam ſcelerum artifices arte perire ſuâ.

CIX. Noſce

CIX. *Noſce teipſum.* p.155.
Te monſtrant inſpecta tibi.
CX. *Perſeuerandum.* p.157.
Perrumpit, qui fortiter inſtat.
CXI. *Lucrum incertum. damnum plerumq́ certum.* p.159.
Caſus in euentu eſt.
CXII. *Cuſtos iuuentuti addendus.* p.160.
Non frango, ſed firmo.
CXIII. *Exercitatio cos ingenij.* p.162.
Acuor, dum conteror.
CXIV. *Humilis contemptus in orbe eſt.* p.164.
Elata aſpicimus, pedibus depreſſa teruntur.
CXV. *Vultus animi index.* p.166.
Produntur pectora vultu.
CXVI. *Non nimium fidendum.* p.168.
Vt noceat, ſat quiſque potens.
XVII. *Animi tranquillitas in rerum fluxarum contemptu ſita.* p.170.
mens ſimilis tranquilla Deo.
XVIII. *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* p.172.
Multa ſciunt reges, quæ ſibi nota tacent.
XIX. *Coniuratio diſſipanda.* p.174.
Diſiunge, peribunt.
XX, *Cauſæ malorum tollendæ.* p 176.
Calido ſubtrahe ligna foco.
XXI. *Non contra, ſed cum ſole.* p.177.
Oppoſitis nocet ille oculis, ſed lumen ab ipſo. Captantes recreat.

CXXII. *Truncus armatus: minæ inanes.* p.179.
Vanæ ſine viribus iræ.
CXXIII. *Dignis.*
Merces virtutis, honor.
CXXIV. *Sincerè.* p.182.
Sine fraude, doloque.
CXXV. *Sermo index animi.* p.184.
Pretium ſonus indicat æris.
CXXVI. *Detractores, & Critici.* p.186.
Et maculas in ſole vident.
CXXVII. *Aſtromantæ.* p.187.
Nil vanius iſtis.
CXXVIII. *Neſcit inflecti.* p.189.
Lacrymis ne fide puellæ,
Vt flerent oculos erudiêre ſuos.
CXXIX. *Malo ſperni, quam eneruari.* p.191.
Eneruant animos citharæ, cantuſque lyræque,
Et vox, & numeris brachia iacta ſuis.
CXXX. *Procul ab oculis, procul à corde.* p.193
Admonitu renouatur amor.
CXXXI. *Conſpicilia non omnibus eadem.* p.195
Quot capita, tot ſententiæ.
CXXXII. *Falſa doctrina; ignis fatuus.* p.197
Cæcat, fallitque ſequentem.
CXXXIII. *Qui male agit, odit lucem.* p.199
Odit mala turba diem.
CXXXIV. *Spes falſa.* p.20
Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.
CXXXV. *Fortunæ felicitas fragilis.* p.20

Fortu

Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet, frangitur.

CXXXVI. *Campanæ, vitrea & ænea virtus, & vanitas.* p.205.

Laus non durabilis illa eſt,
Quæ virtute caret.

CXXXVII. *Crumena pulchra, ſed vacua; laus inanis.* p.207.

Laude caret, laudis, qui nihil intus habet.

CXXXVIII. *Conatus irritus pertinaciter non vrgendus.* p.209.

Illiſu capitis ſtultum eſt pertundere murum.

CXXXIX. *Tange montes, & fumigabunt.* p.211.

Oſtendunt aduerſa virum, felicia celant.

CXL. *Educationis cura habenda.* p.214.

Surculus eſt qualis, talis & arbor erit.

CXLI. *Conſiliarius fidelis.* p.216.

Auge oculos, ſed tolle manus.

CXLII. *Subſcribe incognita nunquam.* p.218.

Ante probent oculi, chartam quam dextera ſignet.

CXLIII. *Auctoritas ſit penes regem, executio fiat per Miniſtros.* p.220.

Sol facit, at factas populo ſtylus indicat horas.

CXLIV. *Ambitio cæca, & periculoſa.* p.222.

Minor eſt laus iſta periclo.

CXLV. *Nec auarè, nec prodigè.* p.225.

Inter vtramque mane.

CXLVI. *Exaltatio miniſtrorum moderata.* p.228.

Haud humeros vltra.

CXLVII. *Officia non facile facienda hæreditaria.*

Donec

Donec vertero. p.230.
CXLVIII. Nec præſume, nec deſpera. p.232.
Fert tempus vtrumq;.
CXLIX. Mundi felicitas, puerorum ludus. p.234.
Toto ſic luditur orbe.
CL. Vt pateant aditus. p.236.
Acceſſure Iouem, da thus ante omnia Iano.
CLI. Vtilior regni frequentia & fertilitas, quam maieſtas & amplitudo. p.238.
Magis vtilis hæc eſt.
CLII. Vita Aulica. p.242
Allicit, & terret: procul hinc ſed tutius abſum.
CLIII. Non æqualiter fidendum omnibus. p.245
Vultus non omnibus idem.
CLIV. Vires ante inceptum proba. p.247
Pondus diſco meum.
CLV. Dubia atque incerta non ſupponenda pro certis, atque confectis. p.249
Pellem non capti nunquam venundabis vrſi.
CLVI. Non ſemper virebimus. p.25
Tacitis cuncti exareſcimus annis.
CLVII. Nos quoque floruimus. p.25
Ad vos mox veniet, iam nos præceſſimus, ordo.
CLVIII. Sic tranſit gloria mundi. p.25
Arboris vt vento decutiuntur opes.
CLIX. Nil vltra in terris. p.25
Curſûs hic terminus eſto.
CLX. Hæc vltima linea rerum. ſ.26
Aut exul, ſine fine mali: vel Rex, ſine fine bonoru

FINIS.

9 [illegible] 12